ECCLESIA ROMANA
INFALLIBILIS
IN FACTORUM DEFINITIONIBUS.


OPUSCULUM

JOSEPHI LUDOVICI SACERDOTIS,

SANCTISSIMO

DEIPARENTIS SPONSO

CONSECRATUM.



ROMÆ
TYPIS JO. GENEROSI SALOMONI
AN. REP. SAL. MDCCLXXVII.

Cum Superiorum Facultate.

APPROBATIO.

NIhil invenio censura Theologica dignum in Opusculo cui Titulus = *Ecclesia Romana infallibilis in factorum definitionibus* = quod mandante Rmo P. Magistro S. Pal. Apost. attente perlegi. Sententia, quae in eo specialiter propugnatur, mihi probabilis est, atque etiam probabilior, pluribusque judiciis ab hac praesertim S. Sede Apostolica latis conformior. Quapropter in lucem edi posse censeo.

Dat. apud SS. XII. Apostolos 5. Nonas Martias 1777.

F. Joseph And. Martinelli Min. Conv.
S. Officii Consultor.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. A. Marcucci ab I. C. Episc. Montisalti ac Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ord. Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

QUÆ-

QUÆSTIO SINGULARIS

AN ECCLESIA SIT INFALLIBILIS IN QUÆSTIONIBUS FACTI?

§. I.

PROLOGUS.

QUæstionem aggredior, quàm futuram utilem, credo, facile existimes. Agitur enim de Fide dicenti Deo habenda, sine qua *impossibile est placere Deo*, quæque adeo est salutis æternæ fundamentum. Habenda autem est Deo Fides de iis, quæ ipse dixit, & Ecclesia proponit; nam per Ecclesiam proponentem innotescit nobis quid dixerit Deus. Credenda vero Fide Divina aut sunt Jura, h. e. Mysteria Christianæ Religionis, e. g. Deum esse Creatorem rerum; Christum esse hominum Redemptorem; aut sunt Facta, ut Adamum pænitentiam egisse: Facta autem aut sunt externa,

ut Abraham aſcendiſſe in montem ; aut interna, ut Abraham Deo credidiſſe. Porro vera certè ſunt, quæ credenda ſunt Deo dicenti, quia Deus falſum non dicit; ſunt itaque vera, quæ credenda proponit Eccleſia; proponit enim credenda dicenti Deo. Hoc ipſo autem eſt infallibilis Eccleſia in iis, quæ credenda proponit. Proponit verò, cum credenda eſſe definit, ſeu Fidelibus univerſis præcipit, ut credant. At non definit, nec proponit credenda, niſi quæ Deus dixit; itaque ſolum ea, quæ revelata ſunt in Scriptura, vel Traditione, in quibus eſt locutus Deus, quæ Fidelibus ſunt credenda. Atque inde emergit quæſtio, num ſit Eccleſia infallibilis in quæſtionibus facti? Sunt enim facta plura, quæ non apparet eſſe a Deo in Scriptura, Traditioneve revelata. Hujuſmodi ſunt, quod liber aliquis hæreſin contineat, quod factum eſt externum: quodque Auctor libri hæreſin intenderit mente, atque animo, quod eſt factum internum. Atque in Factis hiſce probatur eſſe fallibilem Eccleſiam, quia reſcit illa, non ex Divina revelatione, ſed ex humano, adeoque fallibili teſtimonio; quantumvis ſit infallibilis in quæſtionibus juris; proponit enim credenda, cùm eas definit, myſteria, ſeu veritates, quæ novit ex Dei revelatione.

Reſolvimus autem in quæſtione propoſita, eſſe infallibilem Eccleſiam, quandocumque definit aliquod factum, ſeu externum ſit, ſive in-

internum. Ratio autem eſt; quia, ſi definit, tametſi Factum definiat, definit, quod eſt a Deo revelatum; aliud enim definire non poteſt; itaque nec definivit unquam, nec definiet. Definit autem factum revelatum a Deo vel expreſſe, & ſingulariter, ut cum definivit Adami pænitentiam; vel univerſaliter, & confuſe, ut cum Synodus Epheſina declaravit hæreticas Epiſtolam, & perſonam Neſtorii. Quod enim revelatum eſt univerſali revelatione confuſe, revelatum eſt formaliter, & immediate: cumque ſit Eccleſia a Deo conſtituta Interpres verbi ſui Scripturarum, qui declaret revelationes Juris, ſeu Myſteriorum, obſcuras, & univerſales, e.g. neceſſitatis Gratiæ ad initium Fidei; non eſt cur Interpres non ſit, qui declaret revelationes facti univerſales, atque confuſas, e. g. verba Chriſti Matt.7. *Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*, in quibus inveniuntur revelati univerſaliter, & confuſe homines quidam, qui hæreticum librum ſcriberent, hæreticumqne ſenſum animo, ac mente intenderent, & haberent; confuſe, inquam, quia quamvis ſignificati in verbis illis, non ſunt tamen propriis nominibus expreſſi: ad Eccleſiam autem, ut Fidei doctricem, & verbi Divini Interpretem a Deo deſignatum ſpectat ſuo quoſque tempore exprimere, & Fidelibus cavendos proponere; aſſiſtente illi Spiritu Sancto, ne in hac propoſitio-

tione fallatur; ficut affiftit, ne fallatur in propofitione Juris obfcure revelati.

Hæc fumma quæftionis eft. Quam confequuntur tria Corollaria, quibus fubftinetur, effe infallibilem Ecclefiam in Canonizatione Sanctorum, in Religioforum Ordinum approbatione; atque effe de Fide Papatum Pontificis præfentis ab Ecclefia pacifice accepti: in iis enim tribus adeft univerfalis Dei revelatio, quam declarat, & credendam Fidelibus proponit Ecclefia.

Sed quoniam veluti maxima, five axioma, eft Theologorum, Ecclefiam, in Jure infallibilem, effe fallibilem in Factis, exponitur in quæftione fenfus, ac veritas hujus axiomatis; quod Ecclefiæ quidem fallibilitatem ponit in factis non definitis, non verò in definitis: five non cum aliquod definit, & credendum Ecclefia Fidelibus proponit; fed cum judicio æconomico, humano more, fententia fertur juxta allegata, & probata, *ut cum de poffeffionibus agitur, aut de criminibus, aut de hujufmodi*, quod ait D. Thomas Quodl.9.; art.16.

Velim, Lector, laborem benevole excipias, ac fincere perpendas; non modo enim Ecclefiæ, ut par eft, judicio, quæ dico cunque, fubjicio, fed fapientum etiam caftigationi committo. Opto autem, ut utilis fit, idque te, ut a Deo poftules, oro. Vale.

§.II.

§. II.

Statuitur, quædam Facta esse revelata, quædam non item.

QUæstion[illegible] *uris* vocant Jurisperiti, cum quæritu[illegible]mquid sit a Jure constitutum : [illegible]ionem *Facti* dicunt, cum quæritur numquis fecerit quidpiam Juri conforme, vel difforme. E. g. Si quæritur an Mohatra sit contractus usurarius, quæstio Juris est : Si quæritur, an Titius Mohatram iniverit, quæstio est Facti. Sed sunt etiam quæstiones mistæ ex Jure, & Facto : nam si quæritur, an Titius usuram commiserit, duo quæruntur, nempe an contractum iniverit ; & hoc est Factum ; atque an Contractus, quem inisse dicitur, sit usura ; & hoc est Jus. In ea verò mista quæstione Factum probatur testimoniis, Jus autem probatur legibus. Itaque in dirimenda quæstione Judex decidit Factum nisus testimon[illegible] decidit Jus nisus Legibus, decidit mistam [illegible]ionem nisus testimoniis, & Legibus.

Similiter in re Fidei distinguunt Theologi *Jus*, *& Factum* : Jus est Revelatio Divina, seu Verbum Dei ; est enim materia Fidei id, quod dixit Deus : Factum vero est, cum agitur, numquis dixerit, senseritve juxta verbum Dei, an contra illud : Est e. g. Jus, si quæratur, an qui servaverit legem Dei, placeat Deo : est Factum, si quæratur an homo hic servaverit legem Dei ; sed est tamen mista ex Jure, & Facto

cto quæstio hæc: nam quod hic homo fecerit hæc, aut illa Factum est; quod vero ea faciens servaverit Dei legem est Jus: Factum constat testimoniis; Jus sumitur ex Dei Verbo: tota vero quæstio *an servaverit legem Dei* Juri nitendo, testimoniisque utendo deciditur.

Jamvero *revelatum* esse est esse a Deo dictum in Scriptura Sacra, vel Traditione Apostolica, seu quæ descenderit ab Apostolis, quibus id dixerit Deus, quin sit scriptum. Porro revelatæ sunt a Deo in Scriptura multæ veritates, quæ Jus sunt, neque Facta, e. g. Deum esse, esseque Unicum, Trinum tamen in Personis. Quæro nunc, an sint etiam revelata Facta?

Ac dico 1., sunt revelata in Scripturis Facta plurima. Nam libri Historiales Testamenti Veteris sunt Factorum revelationes, Evangelia, & Actus Apostolorum sunt etiam Factorum revelationes.

Dico 2. Sunt revelata in Scripturis Facta quædam distincte; sunt alia revelata confuse. Nam distincte revelatum est e. g. in Evangelio Matt. 26. quod Christum captum, ductumque *sequebatur Petrus a longe*: revelatum est confuse, quod fugerit, Christo capto; nam dictum est ibidem, quod capto Christo *Discipuli ejus omnes fugerunt*, ubi de nullo Apostolorum dicitur distincte fugisse, dicitur autem confuse de quovis.

Dico 3., revelata sunt in Scripturis quædam

dam Facta singulariter: ut quod Petrus secutus sit Christum; & revelata sunt alia universaliter, ut quod capto Christo omnes Apostoli fugerunt.

Hactenus dicta vera sunt sine controversia. Dico autem 4. quæ revelata sunt universaliter, sunt formaliter, immediateque revelata; sive revelatio universalis revelat formaliter, immediateque singularia quæque in universali voce comprehensa. E. g. Revelatio *pro omnibus mortuus est Christus*.1. Joan. 2. revelat formaliter, & immediate, redemptum esse me, & Aristotelem; revelat tamen confuse, quia me, & Aristotelem propriis nominibus non distinguit. Assertio hæc, quam multi tenent cum Suario disp. 5. de Fide, sect. 3. probatur efficaciter 1. quasi a priori; quia vox universalis aliud omnino non significat nisi singularia; E.g. vox *omnis homo* aliud non significat, seu significat formaliter, & immediate, nisi hunc, & illum, & illum hominem; at id revelat revelatio, quod significat, ut per se notum est: ergo. Probatur 2. quasi a posteriori: stante hac revelatione *Pro omnibus mortuus est Christus*, hæreticus essem ego, si negarem, pro me mortuum esse, ac si ad Judices deferrer, hæresis condemnarer: ergo Fide est credendum mihi, pro me mortuum Christum esse. At solum est credendum Fide (Divina inquam,) quod revelatum est: ergo. Sic etiam credendum est, me esse factum a Deo, quia revelatum est,

Deum

Deum esse Creatorem universarum rerum; itaque revelatum est universaliter esse Creatorem meum. Ac nisi hæc, & similia multa sint Fide credenda, multum sane detrahitur Fidei Christianæ, quæ salutis æternæ fundamentum est, & pietatis.

Dices autem; revelatione universali *omnis; pro omnibus* revelata quidem esse singularia, sed conditionate, & conditionate etiam esse credenda: e. g. conditionate revelatum est, & credendum, pro me Christum esse mortuum, si homo ego sum, ac si homo sum aliquando existens. At dico, bene est: ergo saltem conditionate revelata sunt singularia, revelato universali, sive in universali revelatione. Falsò ergo dicetur absolute, ac sine distinctione, non esse revelata. Huic ego assertioni absolutæ repugno.

Ac dico 5., quædam singularia sunt universaliter, & confuse revelata in Scriptura absolute, quædam conditionate. Nam e. g. revelatum est absolute, omnes Apostolos, atque adeo Jacobum, Thomam, Christo capto, fugisse. At revelatum est conditionate, pro me, proque Aristotele mortuum esse Christum; nempe si homines essemus aliquando existentes: mundos esse a peccato originali, si rite baptizati sumus.

Dico 6., quædam sunt revelata conditionate sub conditione, quæ nondum venit; quædam sub conditione, quæ jam venit. Nam e.g. re-

revelatum eſt, ſalvandos eſſe, qui in Dei gratia deceſſerint, qui deceſſus in multis non venit: & revelatum eſt, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, qui ſint homines aliquando exiſtentes, quæ exiſtentia jam venit in præteritis, & præſentibus.

Dico 7., quædam revelata ſunt ſub conditione, quæ & venit, & veniſſe ſcitur; quædam vero, quorum conditionem veniſſe non ſcitur. Nam e.g. de me ſcio, eſſe hominem aliquando exiſtentem; id autem neſcio de filio v.g. Regis Æthiopiæ, nam ne ſcio quidem, numquem Rex ille Filium habeat, aut habuerit.

Dico 8., quorumdam revelatorum conditionem veniſſe ſcitur per revelationem; quorumdam per naturalem, certam tamen notitiam, aut experientiæ, aut hiſtoriæ, aut ratiocinii. Nam per revelationem ſcitur de Adamo, & Eva, de Apoſtolis, & aliis fuiſſe homines aliquando exiſtentes: per experientiam ſcio, me eſſe exiſtentem hominem: per hiſtoriam ſcio, fuiſſe exiſtentem hominem Ariſtotelem; per ratiocinium ſcio, eſſe exiſtentes homines illos, quibuſcum verſor, fuiſſe hominem matrem meam.

Dico 9.: revelata conditionate, quorum conditionem veniſſe ſcitur per revelationem, credi poſſunt, ac debent aſſenſu abſoluto; ac ſic etiam revelata, quorum conditionem veniſſe notum eſt certo moraliter naturali notitia aut experientiæ, aut hiſtoriæ, aut ratiocinii.

Pa-

Patet aſſertionis prima pars, 1. quia ſtultum, aut certe ineptum eſſet ſic judicare, *Credo Adamum a Chriſto redemptum, ſi Adamus fuit homo aliquando exiſtens*. 2. quia debeo credere ſic, *Adamus fuit homo aliquando exiſtens, & a Chriſto redemptus eſt*, in qua Fide, ſeu aſſenſu nihil non eſt abſolutum. 3. quia homines exigunt ſibi fidem abſolutam, ſiquid affirment ſub conditione, & ſimul conditionem: e. g. ſi mihi dicas, *Dabo tibi librum, ſi volo, volo autem*, exigis a me, ut credam tibi abſolutè dicens, *dabis mihi librum*; & illudi tibi cenſeres, doleresque, ſi ego tantum dicerem *dabis, ſi velis*. Ergo multo magis fidedigniſſimus Deus.

Patet etiam ſecunda pars aſſertionis: quia, ut Theologi tradunt, ſufficit ad credendum certitudo moralis revelationis; itaque ſi per argumenta credibilitatis, per ſignave veræ Religionis certus ſum moraliter, veram eſſe Religionem Chriſtianam, poſſum, ac debeo credere, veram eſſe. Ergo ſi certo moraliter ſcio, impletam eſſe conditionem, ſub qua revelatum eſt me eſſe a Chriſto redemptum, hærere mihi non licet, ſed debeo credere abſolute, me eſſe redemptum. Et ero ineptus, ſi adjiciam *Credo redemptum me, ſi ſum homo exiſtens*: Et ero etiam Deo injurius: Saniſſime autem, rectiſſimeque me geram; ſi cum Rege Davide, Viro *juxta cor Dei*, dicam intrepide *Redemiſti me, Domine Deus veritatis*; atque adeo adjungam confidenter *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, Pſ.30. Di-

Dico 10. Singularia revelata universali, & confusa revelatione conditionate, quorum conditionem venisse nescio, credere debeo conditionato assensu; si tamen prudenter existimari queat, conditionem venisse, non opus est, ut in credendo exprimam conditionem. Prior assertionis pars plana est; sic enim debeo credere revelata, ut revelata sunt, nec minuendo trepide, neque addendo temere; ac medio ibo tutissimus: itaque recte credo e. g. me salvandum, si in gratia Dei moriar: male crederem absolute me salvandum; essem hæreticus, si negarem me salvandum etsi in gratia Dei moriar. Pars altera patet plenissime praxi Ecclesiæ, & Fidelium universe: nam ab infirmo, cum pro Viatico Christum sumit, quæritur, an credat, in Hostia illa, quæ sibi exhibetur sumenda, Christum esse, non utique adjecta conditione, *Si recte est consecrata*: Fidelis autem respondet *Credo*, conditione illa non expressa. Conditione etiam non expressa quotidie adorant Fideles Hostiam in Missa consecratam, & adorationi exhibitam: & solum conditionate revelatum est, in Hostia illa esse Christum, *Si recte est consecrata*. Sed conditio tamen non exprimitur, quia prudenter existimari potest rite consecrata. Atque hac etiam ratione gerunt sese homines inter se; moralis prudensve existimatio illis sufficit, ut credant invicem multa, & juxa fidem habitam agant: e. g. *hunc credo*, inquiunt, *meum Patrem esse*, *atque adeo*

eum

eum ut Patrem revereor : hæc mihi mulier affirmat , se mihi matrimonio obligare , credo , meque illi obligo vicissim ; quin conditionem adjiciam, *si vere illa obligat se mihi* .

Ex quibus omnibus plane descendit, si Ecclesia definiat aliquod singulare revelatum in Scriptura confuse universali revelatione, id esse credendum : quia per Ecclesiæ definitionem constat certo , revelatum esse illud singulare . Verum hanc assertionem in paragraphum alterum relinquo . Sit interea

§. III.

Argumentis contrariis occurritur .

OPpones contra 4. assertionem 1. revelato fundamento relato , vel connexo , non ideo revelatur terminus ; revelata essentia , non revelantur proprietates ; revelato antecedente, non revelatur consequens ; ac ne revelato quidem uno prædicato , revelantur alia cum eo realiter identificata : ergo nec revelato universali , revelantur singularia . Respond. Nego consequentiam : nam fundamentum realiter distinguitur a termino , potestque revelari voce absoluta , nec ad terminum respectiva , ideoque terminum non indicante , ut hæc vox absoluta *homo* non indicat Filium : tum essentia non est formaliter suæ proprietates : neque antecedens semper est formaliter consequens : nec semper prædicata realiter identificata sunt eadem

dem formaliter: itaque vox *homo* non significat formaliter risibilitatem, neque vox *Animal* rationale. At terminus universalis significat formaliter singularia; quid enim significat terminus *Omnis homo* nisi homines singulares? Atque argumentor pro me: revelata essentia, revelantur prædicata ejus, & partes: sic revelato, esse hominem Christum, revelatum est esse mente præditum, & sensibilitate, constareque corpore, & anima: ergo pariter.

Oppones 2. hæc revelatio universalis *Omnis homo est redemptus a Christo* esset vera, etsi hic homo, e.g. Aristoteles, relictus esset inter pure possibiles: ergo non significat, itaque nec revelat, Aristotelem redemptum esse. Respond. permitto antecedens; & distinguo consequens: non significat, nec revelat absolute, esto; conditionate, *Si existat aliquando*, nego: itaque posita, & certo nota existentia; credi jam potest, ac debet absolute redemptio. Permisi antecedens, quia cum Deus revelavit hominum redemptionem, sciebat distincte homines aliquando extituros, ac redimendos, itaque sciebat extiturum, redimendumque Aristotelem: igitur hunc dixit redemptum, atque adeo vera non esset revelatio, si Aristoteles redemptus non esset.

Oppones 3.: de nullo homine singulari possum credere Fide Divina, redemptum esse. Nego. Probas: nequeo credere redemptum eum, qui nescio an sit verus homo, an appa-

rens, ut fuit Raphael Socius Thobiæ; at de nullo homine singulari scio certus, verum esse hominem, neque apparentem: ergo. Speciosa sane argumentatio! Insto enim sic: nequit mulier ducere virum, de quo nescit, an sit verus homo, an apparens: at de nullo singular. scit, verum esse hominem: ergo. Innumeræ hoc genus fieri possunt instantiæ. Unam non omittam ad hominem: argumentans enim affirmat, stultissimum fore, qui dubitet, an extiterit Aristoteles. At dubitabo, inquam, ego: undenam enim mihi constet, verum, neque apparentem hominem fuisse eum, quem vocant Aristotelem historiæ? Jam vero nego assumptum argumenti, & falsam plane majorem probationis; nam de plurimis sane hominibus revelatum est in Scripturis, veros homines fuisse: e. g. de Adamo, Eva, Noemo, & Filiis ejus, Abrahamo &c. De aliis innumeris constat certo, esse homines, per conclusionem Theologicam, hoc est, deductam ex una præmissa de Fide, & altera naturali certa: Nam ex Christi Verbis ad Apostolos Matt. 4.: *Faciam vos fieri piscatores hominum* de Fide est, Fideles, quos piscati sunt Apostoli, homines esse; at certum est moraliter, seu certo moraliter constat de illis Fidelibus: ergo. Sed aliter ad argumentum negato assumpto, distinguo majorem probationis: nequeo credere conditionate redemptum, de quo &c. nego: nequeo credere absolute, subdistinguo: nequeo credere

re-

redemptum eum, de quo nescio, quantum requiritur ad credendum an sit verus homo, concedo; de quo nescio plusquam requiritur, nego. At de plurimis scio certus, esse veros homines, quantum requiritur ad credendum redemptos esse; scio enim morali certitudine vel ab experientia, vel ab historia, usque adeo ut stultus reputer merito, ac jure, si dubitem.

Oppones 4.: assensus, quo judicem, hunc hominem esse a Christo redemptum, nequit esse Fidei Divinæ. Probatur: Assensus ille nitetur partim revelationi redemptionis, partim argumento naturali ostendenti hujus hominis existentiam; at ejusmodi assensus non est Fidei Divinæ: ergo. Miror sane, ita esse argumentatum hominem, qui docet alibi, actum, sive assensum Fidei moveri partim Dei auctoritate, partim argumento aliquo Credibilitatis Mysteriorum Christianæ Religionis; quia scilicet Christus dixit *Operibus credite* Joan. 10. *Propter opera ipsa credite*, Joan. 14. Ad argumentum porro, negato assumpto, distinguo majorem probationis: assensus ille nitetur argumento naturali tanquam motivo credendi redemptionem, & ut est Fides de redemptione, nego; tanquam motivo judicandi existentiam redempti, & quatenus est actus comitans Fidem de redemptione, concedo. Doctrina communis est, in credendo Fide Divina duo adesse judicia, alterum, quo Fidelis judicat, adesse revelationem Divinam, alterum, quo credit rem re-

revelatam ; primum judicium movetur ſignis, vel ſigno moraliter certo oſtendente , adeſſe revelationem ; alterum movetur Auctoritate Dei revelantis , in conſortio quidem primi judicii , & ejus motivi , nec ſine eo , quin tamen ab eo moveatur in credendo rem revelatam , quæ creditur Deo dicenti . Exempli gratia , ſenſus communis plurimorum ſane ſapientum oſtendit mihi , revelatam eſſe a Deo Chriſti Divinitatem : id ego cognoſcens erumpo , & dico , *Credo , eſſe Chriſtum Deum , credo quidem , quia Deus id dixit ; ſcio autem dixiſſe , quia communis ſenſus ſapientum ita fert : nec vero crederem , niſi ita dixiſſet Deus* . Juxta hanc doctrinam cum credo me redemptum , & judico me eſſe hominem , & me redemptum , poſito , quod ſum homo : primum judicium movetur naturaliter experientia , alterum auctoritate Dei dicentis *Redemptum eſſe omnem hominem , qui aliquando exiſtat* , Eſt igitur notitia humanitatis meæ , non motivum credendi Redemptionem , ſed occaſio , in qua credo ; eſt vero talis occaſio , quia ſolum pro caſu , quo eſſem , homo , dixit Deus me redemptum eſſe : eſt itaque requiſitum ad Fidem , non autem eſt motivum Fidei . Non ita eſt in præmiſſis (ut id obiter præoccupem) quæ utræque ſunt motivum concluſionis , quia hujus motivum eſt identitas extremorum cum medio , atque una præmiſſa oſtendit identitatem unius extremi , altera alterius .

Op-

Oppones 5. inſtando: aſſerat mihi quiſquam, *ſi pluat, amici non venient*, ego videns pluviam dico *amici non venient*: id autem judico partim propter dictum alterius, partim quia video pluviam: ergo pariter. Nego antecedens; nam cenſeo non venturos Amicos, quia ille mihi fidedignus dixit; credo autem, cum pluviam video, quia hic eſt caſus, pro quo dixit non venturos.

Oppones 6. Si de Fide eſt, redemptum eſſe Ariſtotelem, erit de Fide, Ariſtotelem extitiſſe: nam hæc veritas *Ariſtoteles redemptus* continet hanc *Ariſtoteles aliquando exiſtens*. Nego aſſumptum; & diſtinguo probationem; hæc veritas *Ariſtoteles redemptus* continet hanc *Ariſtoteles aliquando exiſtens* continet ut revelatam, nego; ut naturaliter cognitam, concedo. Applica huc dicta ad argumentum 4. Revelavit nempe Deus redemptum Ariſtotelem, ſed confuſe, & quaſi conditionate *ſi aliquando exiſteret*; non revelavit abſolute exiſtentiam: hac autem poſita, & naturaliter certo cognita, urget fidedignitas Dei, ut ſibi credatur Redemptio. Sicut in præcepto *Da eleemoſynam homini, ſi ſit*, vel *qui ſit pauper*, poſita, & cognita paupertate, adeſt caſus, pro quo urget obligatio eleemoſynæ.

Conſulto dixi *quaſi conditionate*, ad vitandas tricas: poſſet enim opponi: ſi revelatio *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* revelat redemptum Ariſtotelem, *ſi exiſtat*, poſita exiſtentia,

 tran-

transiret in absolutam; sed hoc non: ergo. Nolo divertere ad Logica de propositione conditionata. Itaque distinguo majorem: transiret, si potest, esto: si nequit, nego. At utrovis modo, posita existentia, adest casus credendi redemptionem, ut dictum est.

Oppones 7. Si credenda sunt Fide Divina singularia contenta in revelatione, crescent nimium objecta Fidei, cum scandalo fortasse Criticorum, & cum derisu Religionis, quod cavendum monet sapienter Cardinalis de Lugo. Probatur assumptum: dicenda enim erit de Fide quævis res creata; quod patet hoc syllogismo: *Quod revelare potest Deus, verum est; sed potest revelare hanc arborem, hunc lapidem &c.: ergo sunt hæc arbor, hic lapis &c.* Nego assumptum propter illud *nimium*, quod vitium significat. Probatio adjuncta non me attinet; neque enim dico de Fide singularia, quia deducta vi Syllogismi; sed quia formaliter, directe, immediateque revelata in universali Revelatione. Quodsi dicam, in rebus omnibus esse quidquam, quod credi possit Fide Divina, verum profecto dicam: nam revelatum est, res omnes creatas existentes a Deo esse creatas: semper ergo ac videam rem aliquam possum erumpere *Credo te creatam a Deo*; aut in actum illum piis solitum *Benedictus Deus, qui te creavit*: aut illum *Gratias Deo, qui dedit mihi hanc aquam, hunc cibum &c.*

Neque est, cur Critici offendantur assertio-

tione noſtra. Nam tantum volumus, ut ſuppoſita Revelatione aliqua univerſali credantur ſingularia, de quibus conſtet in ea contineri: e. g. ut credam me a Chriſto redemptum, ſuppoſita notitia exiſtentiæ meæ, & Revelatione *Omnis homo aliquando exiſtens eſt redemptus a Chriſto*. Idem autem volunt Adverſarii noſtri Catholici, quantumvis Critici: diſcrepamus dumtaxat, quod illi volunt, credi ſingularia omnia conditionate, nos volumus, ut credantur aliquot abſolute. In modo ergo credendi quædam eſt diſcrepantia. Sed conſiderentur, quæſo, actus iſti: *Credo me eſſe a Chriſto redemptum, ſi ſum homo*: *Cum ſim homo, credo me a Chriſto redemptum*; primum admittunt Adverſarii; nos alterum adſtruimus. Nonne prior ille deluſionem quamdam, trepidationem in credendo, moremque loquendi, & credendi a Communi hominum alienum præſefert; ſecundus vero non item? Hic ergo primo eſt antehabendus.

Neque etiam eſt, cur ægre ferat Fidelis quiſpiam augeri credenda; eſt cur in Domino lætetur. Nam quoties credit Deo, exercet Fidem, quæ magni meriti, & honoris clariſſimi virtus eſt; imo & magni ſolatii, & gaudii, quia certos efficit veritatis. Certe in iis, quæ neſcimus, ſolatium eſt fide dignum hominem invenire, cujus judicio acquieſcamus; ecquid ſit habere omniſcium Deum? Non fingendus eſt labor in præcepto; ſed attendenda honeſtas,

& commoditas obedientiæ. * Occurrant licet inter credenda nonnulla difficilia; tamen omnia, solvuntur hac unica generali ratione *Deus dixit*. Si meæ nitor rationi, non sum adeo securus, nam deceptum me sæpe sum expertus; si Deo credo, sum securissimus. Nequid etiam opponas credendum cum derisu religionis; nam certe credendum id est omne, quod est revelatum, & esse revelatum constet certo moraliter. Neque eo quod vile illud sit, deridenda erit religio: nam erroneus sit, oportet, qui derideat, eo quod dicantur credendæ vulpes illæ Sampsonis, Jud. 15., & credendus Canis Thobiæ, qui *bladimento suæ caudæ gaudebat*, Thob. 11. & sic alia viliora, ut furta, ut adulteria, ut pejora multa, quæ narrat Scriptura. Dominus enim est Deus, ut loquatur, quæ velit; utque a nobis exigat fidem non solum *Mysterij a sæculo absconditi*, sed rerum etiam tenuissimarum, quas loqui nobis dignatus sit. Proh nos autem perduelles! Nam si loquitur Deus Mysterium, difficultas ejus a credendo absterret; si minuta loquitur, eorum vilitas a credendo retardat. Et qui rationi nostræ, rationi, inquam, nostræ toties sespitanti, ac deceptæ fidimus, Deo omnisapienti Fidem habere recusamus. O certe contra rationem agendi ratio! O rationem effectam idolum! O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum! Sit autem §.IV.

* *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, 1. Joan. 5.

§. IV.

Quædam de Ecclesiæ in quæstionibus Juris infallibilitate delibantur.

NOn est animus Ecclesiam infallibilem in quæstionibus Juris statuere; est enim certa Catholicis, atque agnita etiam hæreticis illa infallibilitas: sed juvat, quæ certa sunt, inculcare, & ob oculos habere, ut infallibilitas in Facti quæstionibus planius statuatur; a jure enim ad factum constat argumentum.

Est igitur certum, ac de Fide, Ecclesiam esse infallibilem in quæstionibus juris; hoc est, si quæratur, an sit a Deo revelata in Scripturis veritas aliqua, & Ecclesia definiat, revelatam esse, & credendam, nec falli, nec fallere potest ea Ecclesiæ definitio. Atque ita est, quia ob Christi promissiones Matt. 28. *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, & Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, continue assistit Christus Ecclesiæ, eamque docet Spiritus Sanctus, quæ Fidelibus sunt credenda. Ac sic res se habet. Fideles, quos sibi ut credant obstrinxit præcepto, voluit Deus instructos in credendis: ac revelavit, dixitve ipse credenda in Scripturis: sed hæ sunt obscuræ: itaque ut norint Fideles, quæ dicat Deus in Scripturis, posuit ipse Ecclesiam, quæ doceat Fideles ab eo dicta, & credenda. Scripturæ sunt Verbum Dei; sed hujus verbi in-

interpres a Deo constitutus est Ecclesia: itaque Deus dixit, & Ecclesia proponit credenda. Quare dixit S. Augustinus *Neque Evangelio crederem, nisi me Ecclesiæ moveret Auctoritas*. Nam constituta Ecclesia interprete verbi sui cum assistentia Spiritus Sancti, nequando erret interpretando, & quæ credenda sunt proponendo, providit Deus Fidelibus præcepto obstrictis ad sibi credendum; siquando enim quæstio sit num hoc dixerit Deus, dirimitur statim ut Ecclesia definit, docetque dixisse: sicque Fideles conquiescunt, Fideles, inquam, nec refractarii, securi de veritate ea in re, de qua quærebatur. Nam dicere Deo tunc possent cum Riccardo a Sancto Victore, *Domine, si error est, a te decepti sumus*. Nempe loquitur in Ecclesiæ definitione hominibus Deus, impotens falli, & fallere; cum fallere, & falli posse sit defectus perfectionis; est autem Deus omnis perfectio.

Certum est 2. Ecclesiam in definiendis rebus Fidei infallibilem esse Corpus Pastorum, sive Episcoporum Capiti suo, seu Papæ adhærentium. Nam ipsis in Apostolis dictum a Christo est Matt. 28. *Docete. Et ecce ego vobis cum sum*: ac Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Et sane Pastorum est, ut per se patet, docere; ovium vero audire, ac voce Pastorum regi: estque damnabilis ovis illa, quæ regi nolit.

Certum est 3. *Corpus Pastorum* esse magnam

gnam partem Episcoporum in Concilio collectam ad decernendum de re Fidei, Papa, utpote Capite, eos convocante, eisque collectis præsidente, & quod decreverint confirmante. Nam ad Pastores pertinet munus pascendi, & regendi in Ecclesia: itaque ipsis dictum est 1. Petr. 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*: & Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.*

Certum est 4. Corpus Pastorum esse magnam partem Episcoporum, etsi collecti non sint in Concilio, Papæ tamen adhæreant, seu sint Capiti uniti in credendo, neque ab Ecclesia divulsi. Nam sic etiam sunt positi regere Ecclesiam Dei. Non sunt autem Corpus Pastorum Episcopi singuli: nam Corpus e multis coalitum est.

Quæ cum ita sint, certum est 5. definitiones Concilii, Papa præside, & confirmante, in re Fidei, sive in declaranda veritate a Deo revelata, esse infallibiles. Sunt enim Ecclesiæ definitio, itaque in illis loquitur Deus. Quare Act. 15. Apostoli in Concilio definientes dixerunt *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

Ac certum est 6. judicium Corporis Pastorum dogmaticum, sive in re Fidei, & quæstione Juris, adhærens judicio Papæ, esse infallibile: est enim judicium Ecclesiæ. Itaque mos semper servatus fuit in Ecclesia, ut Episcopi judicantes hæreticam aliquam doctrinam Papam con-

su-

fuluerint, Papaque idem judicante, definitum sit, ac de Fide habitum, hæreticam esse illam doctrinam.

Certum est 7. Papam definientem in re Fidei, & quæstione Juris esse infallibilem, vel accedente consensu Corporis Pastorum, quod voluerunt Comitia Cleri Gallicani anno 1682. consensu, inquam, saltem tacito, seu non reclamatione; vel eo consensu non expectato, quod tenent omnes Ecclesiæ præter illa Comitia, ut testatur Episcopus Sarlatensis in Pastorali Anno 1764. Nam est Papa pro Christo visibile Caput Ecclesiæ, eique dictum est a Christo Joan. 21. *Pasce oves meas*, ac Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Itaque ut Episcopi Galliæ scripserunt ad Innocentium X. anno 1651. in causa Jansenii, *Mos fuit semper in Ecclesia in gravioribus Causis Episcopos ad Papam occurrere, ejusque judicium exquirere, & acceptare*.

Dixi *Papam definientem*, nam tunc est infallibilis, cum definit, hoc est, cum ad universam loquens Ecclesiam proponit aliquid ut credendum, vel ut erroneum, aut etiam ut bonum, vel ut malum, præcepto Fideles adigens, ut sentiant, quod ipse judicat. Quodsi non ita definiendo loquatur, sed opinetur ut Doctor privatus, idque verbis ostendat, non est infallibilis. *Sicut in Conciliis, ubi non fit præcisa definitio per breves Canones, & Decreta, sed per longum, & continuum textum, non om-*

omnia, quæ dicuntur, sunt de Fide, sed sola definitio intenta; nisi aliud in ipsomet Concilio expresse declaretur, inquit Suarius tom. 1. in 3. part. quæst. 23. disp. 49. Sect. 3.

Est inde certum 8., quod Bulla, seu Constitutio definiens in materia Fidei, aut morum, a S. Pontifice edita ad universam Ecclesiam, est infallibilis, & irretractabilis Regula Fidei, omnes obligans. Nam sicut Decreta, Canonesque in Conciliis, ita hæ Bullæ, ac Brevia in Papis sunt definitiones, inque illis Papæ loquuntur ex Cathedra, quam regit Spiritus Sanctus. Dupliciter enim loqui potest Papa Fidelibus, nempe aut ex Cathedra, seu definiendo, aut non ita, sed aliter judicando. Loquitur ex Cathedra, aut definiendo, quando ut Caput Ecclesiæ edit Decretum pro Ecclesia Universali, quod ab omnibus Fidelibus indubitanter admitti, observarique vult; alias vero non ita loquitur, sed aliter, humano more judicando, *ut quando agitur de possessionibus vel criminibus, vel de hujusmodi*, quod ait D. Thomas Quodl. 9. Artic. 26.

Est autem, ut dixi, Papa, cum loquitur ex Cathedra, definiendove, infallibilis, ejusque Decretum est regula Fidei, quia tunc agit, & a Fidelibus auditur ut Pastor, & Doctor, qui pro Christo eos doceat, quæ sibi credenda sunt, & agenda, ut æternum vivant. Non est infallibilis, cum non ita loquitur, quia tunc non sic agit, neque auditur. Agit tamen, suspici-

tur-

turque a Fidelibus ut Judex eminentis auctoritatis, cujus ideo reverenda est lata sententia, quandiu certo non constet, esse passum humana, seu deceptum. Nam & inferiores Judices exigunt jure suo, ut fides sibi habeatur in judiciis, quæ falsa esse non constet.

Est porro infallibilis Bulla Pontificia definiens, etiam non expectato, neque accedente assensu Episcoporum expresso, sed sufficiente (si quis requiritur) tacito, seu quod Episcopi non reclament. Id quod patet ex sensu, & usu Ecclesiæ. Nam hæreses multæ a Papis damnatæ fuerunt adhuc sine expresso consensu Episcoporum, & tamen damnatio habita est pro infallibili definitione. Patet etiam ex declaratione Cleri Gallicani: ejus namque nomine scribens ad Clementem XI. Cardinalis Noallius, Archiepiscopus Parisiensis, *Cum Clerus*, inquit, *dixit, Constitutiones Sum. Pontificum a corpore Episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare, mens ejus non fuit, necessariam esse hujusmodi acceptationis solemnitatem ad hoc ut illæ tanquam regulæ credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant; sed ultima Jansenianorum munimenta penitus convellere principio ab iis concesso operæ pretium esse duxit.*

Est igitur infallibilis Papa in Bullis, quibus quidquam definit, in eo quod definit, idque est de Fide; quamvis non sit de Fide quidquid dicit, quodque non est definitio. Est vero ita infallibilis, quocumque motivo edita sit

Con-

Constitutio. Constat id 1. ex Scriptura ad Philip. 1. *Quidam quidem, & propter invidiam, & contentionem .... Christum prædicant ..... quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincere .... Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo*. Ergo quod ex pravo motivo, sive cum passione aliqua exeat Definitio, nihil id obstat ejus veritati. Constat 2. Nam Caiphas ex odio pessimo in Christum dixit, *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit*, Joan. 11. Cum etiam Num. 22. direxit Deus Balaam, hic vera locutus est. Constat 3. quia Christus propter bonum Fidelium promisit Ecclesiæ infallibilitatem absolute, nec ligatam Pastorum Sanctitati; nam dixit Matt. 28. *Docete: & ecce ego vobiscum sum*; nec dixit *docete recta voluntate*. Propterea etiam Definitio Pontificia infallibilis est independenter ab omni formalitate; quia Christus non alligavit infallibilitatem Ecclesiæ certis quibusdam loquendi formulis.

Certum est præterea, haud hæreri posse in credenda Definitione, eo quod quis ignoret an debitum examen præmissum sit: nam fuisse præmissum ex ipsa constat Definitione; seu vere colligitur *Definitum est, ergo debito cum examine, ac requisitis aliis est definitum*. Christus enim, qui Definitionem promisit infallibilem,

hoc

hoc ipso promisit adfutura, quæ sunt ad eam necessaria. „ *Facile* comprehenditur, cum „ Spiritum veritatis Christus Apostolis, eo- „ rumque Successoribus in Fidei judicio pro- „ miserit, nihil omnino illis defuturum, quod „ Fidei controversiis finiendis fuerit *necessa-* „ *rium*,, inquit Canus lib.5. de locis, cap.5.

Certum est denique, nec limitatam esse infallibilitatem Ecclesiæ in definiendo ad res illas, quæ necessariæ esse videantur. Nam revelavit Deus Canem Thobiæ blandimento caudæ gavisum esse. Atque ut Bellarminus notavit lib. de Sacramentis 2. cap.25. *Obligamur credere Ecclesiæ definienti in omnibus, ut patet Matt.18. Quodsi Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.*

His de Ecclesiæ infallibilitate in quæstionibus Juris, quæ ad Fidem spectant, constitutis, quia certa sunt, quantumvis argumentis quibusdam impetantur, quæ videre licet apud Polemicos, quia non ea vacat expendere, sit jam

§. V.

Non est verum sine distinctione, neque ita a Theologis Catholicis traditum, Ecclesiam esse fallibilem in Factis.

Vera profecto est hujus assertionis pars prior, constatque multis. Nam.1. non est fallibilis Ecclesia in Factis distincte revelatis in Scriptura. Itaque Ecclesia definiens contra quos-

quosdam negantes, Adamum sanctè mortem obisse, fuit infallibilis, estque de Fide ejus definitio. 2. Est Ecclesia infallibilis in factis revelatis Traditione Apostolica. Ita est de Fide, id Ecclesia definiente, esse Canonicos illos Scripturæ Libros, quos Canonicos esse definivit Synodus Tridentina: ita est de Fide, Sanctissimam Deiparam perstitisse Virginem usque ad mortem. 3. Est Ecclesia infallibilis in Factis revelatis quidem in Scriptura, sed ita obscurè, ut vix inveniatur locus revelans. Ita est de Fide, definiente Synodo Florentina, animas hominum, qui in gratia Dei mortui sunt, plene purgatas in corpore, statim ab illorum morte frui Dei visione: est, inquam, id de Fide, tametsi, quidam Patres trium priorum Sæculorum consenserint Millenariis. (Antoine de *Deo* Cap. 4. art. 3.) 4. Est Ecclesia infallibilis in Factis revelatis in Scriptura confusè tantùm universali revelatione: ita est de Fide, octodecim Concilia generalia fuisse legittima, unoquoque Concilio id de se ipso definiente. Adducta porro exempla Factorum sunt. Ergo verum non est sine distinctione, Ecclesiam esse in Factis fallibilem,,

Nec dicas, in adductis exemplis fuisse quæstionem Juris. Nam quæro, cur ita fuerit! certe enim definita sunt ab Ecclesia Facta. Dices, ideò esse quæstionem Juris, quia Facta sunt revelata, Ecclesiaque ea definivit nitens revelationi. At bene est, inquam ego: ergo

 sunt

ſunt Facta, in quorum definitione Eccleſia decidit quæſtionem Juris, ideòque eſt infallibilis. Ergo verum non eſt ſine diſtinctione, Eccleſiam eſſe fallibilem in Factis; ſed adhibenda ſaltem eſt diſtinctio *in Factis non revelatis*.

Jam poſterior etiam aſſertionis pars vera eſt, & multis conſtat. Nam 1. Theologi omnes Catholici agnoſcunt Eccleſiam infallibilem in Factis revelatis Scriptura, vel Traditione, de quibus vidimus modò. Quanquam enim quidam eorum Theologorum diſtinctionem expreſſè non adhibuerint dicentes Eccleſiam infallibilem in Factis diſtinctè, expreſſèque revelatis, tamen Theologi Catholici dixerunt quidem adhuc Eccleſiam fallibilem in Factis, non tamen dixerunt fallibilem in Factis definitis, ſive in Factorum definitione. En, e. g. verba Bellarmini lib. 4. de Rom. Pont. cap. II. *Quamvis*, inquit, *Generale Concilium legitimum non poſſit errare in dogmatibus Fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto*. Nota, non additam vocem *definiendis* in quæſtionibus Facti, in quibus dicitur errare poſſe Concilium, cùm addita ſit in dogmatibus Fidei, in quibus dicitur errare non poſſe. Ac rectè quidem; nam, ut videbimus poſteà, *definitioni* promiſſa eſt, annexaque infallibilitas Eccleſiæ à Chriſto ejus Capite. Sive ergo jus, ſive Factum definiat Eccleſia, ſi tamen definiat, eſt infallibilis, eſtque de Fide, quod definit. Quidni enim? cùm utrobique definiat, proponatque adeo Fideli-

bus

bus veritatem revelatam? 2. Theologorum facile Princeps D. Thomas Quodl. 9. artic. 16. ſic loquitur : *Certum eſt, quod judicium Eccleſiæ univerſalis errare in iis, quæ ad Fidem pertinent, impoſſibile ſit... In aliis verò Sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cùm agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de hujuſmodi, poſſibile eſt, judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Canonizatio vero Sanctorum medium eſt inter hæc duo. Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio Fidei eſt, qua Sanctorum Gloriam credimus, piè credendum eſt, quod neque etiam in iis judicium Eccleſiæ errare poſſit*. Et ad ſecundum, loquens de Canonizatione, *Divina*, inquit, *Providentia præſervat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur*. Quibus in verbis S. Doctor agnoſcit, atque expreſsè affirmat Eccleſiæ infallibilitatem in Facto, imò Factis multis, quæ continentur in eo quod homo aliquis Sanctus fuerit in vita, aut ſaltem in morte, ſi Martyr ſit, quodque ſit in Gloria Cæleſti. Ac diſtinguit Facta inter & Facta, *particularia*, in quibus ſit Eccleſia fallibilis, & *media* inter particularia, ac dogmata Fidei, in quibus ſit infallibilis: diſtinguit etiam inter *Judicia* Eccleſiæ circa Facta particularia, & *Judicia* circa Facta media. 3. Magna pars Theologorum Catholicorum, paucis exceptis, D. Thomam ſecuta docet, ac cenſet Eccleſiam infallibilem in Canonizatione Sanctorum, hancque eſſe de

Fide,

Fide. Ergo non sine distinctione docuerunt adhuc Catholici Theologi, Ecclesiam esse fallibilem in Factis. Ac fiunt jam duo

COROLLARIA.

PRimum est, siquì fuerint Theologi, qui sine ulla distinctione, etiam tacita, dixerint fallibilem in Factis Ecclesiam, eos esse passos humana, ac deceptos, & minus quàm oportuerat, cautè locutos, ac deserendos, neque auctoritatem eorum hac in re valere, cùm contra eam sit auctoritas maximæ partis Theologorum, cum Principe D. Thoma: quin stant etiam contra illam adducta exempla Factorum, in quibus plenè, àc planè est infallibilis Ecclesia. Nec mirum si minùs ita cautè locuti sunt ante Innocentii X. ætatem; nondum enim erat excitata in Ecclesia controversia super Ecclesiæ infallibilitatem in definiendis Factis: itaque nondum excitata fuerat attentio ad homines revincendos, qui ad fallibilitatem in Factis Ecclesiæ confugissent, ut definienti Ecclesiæ sese subtraherent.

Corollarium alterum est, cùm quidpiam objicitur contra Ecclesiæ infallibilitatem in Papa, vel Concilio, perperam responderi dicendo, Papam, Conciliumve errasse errore Facti, non attendendo, an sit definitio ea, in qua dicitur errasse, an Factum sit revelatum, necne; nam in definitione Facti revelati falsá est

cer-

certè responsio, viamque sternit ad dicendam Ecclesiam fallibilem etiam in quæstionibus Juris, sumpta à Facto revelato ad revelatum Jus paritate; atque ad tollendam Fidem nonnullis Conciliorum de hæreticis libris, ac personis sententiis, Bullisque Pontificum. Quod quanto fiat cum Fidei detrimento facile perceptu est. Sit autem

§. VI.

Argumentis contrariis occurritur.

OPpones 1. nisi Ecclesia dicatur absolutè in Factis fallibilis, clauditur via ad difficultates plures solvendas ex Conciliorum, Pontificumque sententiis, non equidem veris, petitas. Respondeo distinguendo: clauditur via recta, & necessaria, nego; distorta, nec necessaria, concedo. Esse viam illam distortam vidimus modò in Corollario secundo: non esse necessariam facilè patebit postmodùm, cùm solvemus exempla, quibus infallibilitas Ecclesiæ in Factis definitis impetitur: videbimus enim, solvi sine Ecclesiæ in Factis falsitate.

Oppones 2. nequit non esse fallibilis in Factis, vel quæ definiat, Ecclesia: ergo absolutè est fallibilis in Factis. Probatur antecedens: quia cùm Facta judicat Ecclesia, nititur principio fallibili, nititur enim hominum testimonio: ita utitur e. g. in Canonizandis Sanctis, & in damnandis hæresis libris, ac personis. Resp.

Nego assumptum, & distinguo probationem: Cùm Facta judicat Ecclesia judicio œconomico, nititur &c. concedo; cùm judicat judicio dogmatico, nego; vel subdistinguo: nititur principio fallibili, adjuncta Spiritus Sancti providentia, assistentiaque ne fallatur, nec fallat, concedo: non ita, nego. Explico solutionem. Judicium *œconomicum* voco, quod D. Thomas dixit *Sententias circa facta particularia, ut cùm agitur de possessionibus, vel criminibus, vel hujusmodi*: voco judicium *dogmaticum*, cùm Papa loquens ex Cathedra, Conciliumve solemni Decreto, aut Canone, quod confirmet Papa, quidquam definit, & Fidelibus universis credendum proponit, atque præscribit. Cùm judicat Ecclesia *œconomicè*, non est infallibilis, quia judicat facta particularia, *& quæ ad fidem non pertinent*, itaque non per eam loquitur, docetque Fideles universim Spiritus Sanctus; quare nec judicat cum speciali Spiritus Sancti providentia ne erret ex fallibili hominum testimonio, cui tunc nititur; sed judicat tantumodò juxta allegata, & probata. Contrà est, cùm judicat *dogmaticè*; proponit enim tunc Fidelibus credenda, & revelata: itaque providet tunc Spiritus Sanctus, & assistit, ne erret; efficit namque, ut vel homines testes, quibus utitur, non fallant; vel si fallant, non utatur illis Ecclesia in definiendo; mendacium enim definitionis tribueretur Spiritui Sancto per illam loquenti, Fidelesque instituenti. Non ita falsi-

tas

tas judicii æconomici, quod non eſt inſtitutio Spiritus Sancti, ſed humana Sententia.

Inſiſtis tamen 1. errare poteſt Papa in judicio etiam dogmatico Facti. Probatur: poteſt Papa errare in judicio libri alicujus hæreſin continentis; ſed hoc eſt Factum: ergo. Probatur major: quia poteſt Papa errare in iis, quæ ſunt ex mera Critica arte; at judicium dogmaticum, ſeu definitionem de ſenſu libri præcedunt multa Criticæ artis, nempe quod liber legatur, & calleatur ejus ſermo: conſiderandus eſt contextus; attendendæ aliæ Auctoris opiniones vel in eo libro, vel alibi proditæ: videndum quò ſcripta ejus collineent; quem adverſarium, quamve doctrinam impugnare, aut defendere ſibi propoſuerit; ætas, qua ſcriptus eſt liber; phraſes, quæ id tempus erant in uſu cum bono, aut pravo ſenſu: hæc porro, atque alia prætereà examinanda ſunt, ac perpendenda ex Grammatica, Philoſophia, Geographia, Hiſtoria, atque hominum examinantium librum ſententia. Quæ quidem omnia, aut certè aliqua revelata non ſunt ullo modò: itaque decipi Papa in illis poteſt. Ita argumentatur Juſtificatio *ſilentii obſequioſi* Gallicè edita.

Reſpondeo autem 1., hoc argumento impeti Eccleſiæ infallibilitatem in quæſtionibus Juris; nam Juris quæſtio eſt an ſit hæretica hæc propoſitio *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur*, abſtrahendo penitus à quæſtione, an ſit propoſitio libri *Auguſtinus*. Et tamen

men ad judicandum dogmaticè, hæreticam esse, præcedit ejus examen, & intellectus vocum, quibus constat, & collatio ejus cum Scripturis, seu verbo Dei, quæ a Theologis fit, & Papam informant humano utique testimonio.

Respon. 2. hòc ipso quod in decidenda quæstione Juris præcedit examen, in quo locum habent Grammatica, & Critica, & hominum testimonium, & tamen Catholicus nemo negat, credendum esse Fide Divina, quod ea in quæstione definit S. Pontifex, maximè accedente consensu Ecclesiæ, hòc ipsò, inquam. hærendum non est in quæstionibus Facti, quas Papa definiat, e. g. si definiat, hæresin esse in libro. Nam qua ratione Papa non fallitur, nec fallit in definitione Juris, nec fallit, nec fallitur in definitione Facti: nempe utrobique per Papam definientem loquitur Deus; itaque utut potuerit Papa errare in examine prævio, errare tamen in definitione non potest. Falli poterit, ut homo est, in examine quoad ea quæ revelata non sunt, nec necessaria, neque conducentia ad definitionem; quia per examen nondum loquitur Deus. At non errabit, vel in examine, etiam in Factis arte Critica, humanoque testimonio constitutis, si ex illis descendat ad definitionem: nam cùm loquatur Deus per Papam definientem, Deus providet ne Papa fallatur: qua de re Bellarminus lib. I. de Rom. Pont. C. 2., & Suarez disp. 5. de Fide, sect. 8. Itaque tuti esse debemus, cùm exit Papalis

palis definitio ex Cathedra, tametsi sit Facti, præcessisse necessariam scientiam, accuratam criticam, &, si vis, peritiam Grammaticam, Rethoricam, Philosophicam; & erratum in examine prævio Facti nihil admodùm fuisse, Deo providente; aut nullo ex errore, si quis fuit, Papam, Spiritu Sancto assistente, definisse.

Insistitur adhuc: evenire potest, ut Papæ exhibeatur judicandus liber linguæ peregrinæ, quam ipse, cunctusque Romanus Clerus ignoret, ipsique Patres, quotquot convenerunt in Synodum Tridentinam: tunc librum capere Papa, Patresque non valebunt nisi adhibito interprete, qui falli potest, & fallere: ergo falli tunc Papa poterit, & Concilium. Resp., Interpretem falli de se posse, ac fallere; si tamen Papa ex ejus testimonio definiat, facturum Deum, ne fallatur, nec fallat. Sicut Prophetæ homines erant de se mendaces; at mentiti nihil fuerunt in Prophetiis, neque etiam Evangelistæ in Factis, quæ narrarunt, nec Vulgatæ Traductor in versione Bibliorum, ex Dei providentia. (Quod de Interpretibus linguæ peregrinæ, dictum esto de Theologis, aliisque Consiliariis Papæ Jus, vel Factum definientis.) Confirmatur autem, quod dictum est, ex facta observatione, quod scilicet Ecclesiam ostendit Deus Apoc. 7. conflatam *ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur . . . & omnis lin-*

lingua confiteatur. &c., quod ait Apostolus Philip. 2. Ut autem Ecclesia coalesceret ex gentibus, & linguis, jussit Christus Apostolis Matt. 28. ut euntes docerent omnes gentes; idque ut rectè efficerent, promisit, se cum illis fore *omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi*, utique per Spiritum veritatis, quem promisit Joan. 14. Non ergo infallibilitas Ecclesiæ coarctanda est ad definitiones in Latina lingua, aut in Græca. Et verò in Concilio Florentino Decretum Unionis Græcè fuit editum, & Latinè, quin Patres Latini saltem omnes Græcum, neque Græci Latinum sermonem percallerent: in utraque autem lingua decretum fuit Regula Fidei; nempe quia Conciliaris definitio opus fuit Spiritus Sancti. Idem est de Papali definitione.

Insistis 3. Ergo Ecclesia est infallibilis circa Grammatica, Rethorica, Philosophica. Resp. quando, quantumque opus est, ut definiat credenda, concedo: assistit enim ei Spiritus Sanctus, ne erret; nam cùm promiserit Christus doctrinam Fidei, promisit, providitque media ad eam necessaria. *Canus l.5. c.5.*

Insistis 4. evenire potest, ut Papa condemnet hæresis librum, quem doctus aliquis, imò & docti multi inveniant Catholicum. Nego, si Papa condemnet ex Cathedra. Sed quid, inquis, si ego inveniam? Dico, id esse non posse. Videbitur quidem tibi Catholicus; at non erit. Nam judicio tuo non assistit Deus, assistit verò Papali definitioni. Ego me falsum inveni

sæpe;

ſæpe; fidamne mihi? Ovis ſum, quæ regar; Paſtor eſt Papa, qui regat. Fenelonius, Doctiſſimus Vir, judicio Papæ ejus librum damnantis acquievit: Bajus agnovit, erraſſe ſe in propoſitionibus à S. Pio V. damnatis, quantumvis eſſet Doctiſſimus, interfuiſſetque Synodo Tridentinæ: Doctores quidam, qui propoſitionum Janſenianarum examini, Papa jubente, interfuerunt, putabantque aliquas ſanas, continuò ut Papa definivit hæreticas, hæreticas agnoverunt. Eſt prætereà exemplum Janſenii, qui librum ſuum *Auguſtinus* judicio Eccleſiæ ſubjecit, ſeque ſenſurum, quod Eccleſia ſentiret, proteſtatus eſt in libro ipſo; quemque impoſtorem dicat neceſsè eſt, qui non ſincerè proteſtatum dicat.

Inſiſtis 5. & quid dicendum de multis libris iniquè damnatis? Reſp. damnatum iniquè a Papa definiente nullum eſſe: vel unum mihi exhibe, amabo te: exhibe tamen unum, de quo liquidò, atque apud omnes conſtet eſſe iniquè damnatum: quoties enim non ita conſtet, cur velis ut tibi dicenti credam, non credam Papæ definienti? De libris aliter quàm definitione Pontificia damnatis præſumptio eſt pro judice, quandiù non conſtet liquidò, eum iniquè judicaſſe. Quodſi conſtaret, aliquem iniquè damnatum eſſe etiam a Papa, non quidem definiente, ſed judicante aut privatè, aut humano judicio, *ut cùm agitur de poſſeſſionibus*, quod ait D. Thomas, tunc quidem Papa falſus eſſet errore Facti, atque in diſciplina non ſpectante ad Fidem; non verò

verò in definitione, quæ nulla tunc esset.

Insistis 6., exhibendo Scriptum iniquè damnatum Pontificia definitione. Nam Papæ identidem revocarunt Bullas quasdam Prædecessorum. Resp. Bullas revocatas non fuisse definitivas, sed disciplinæ, seu judicii æconomici. Et quidem Bullas disciplinæ revocare haud damnare est ex sese, sed novam statuere disciplinam, vel quia, mutatis circumstantiis, alia jam congruit, congruerat autem suo tempore ea, quam constituit Bulla, quæ revocatur; vel quia juris liberi, seu positivi res est, qua de agitur, poteſtque Papa unus velle hoc tempore unum, alius aliud; atque id quidem prudenter: e. g. potuit Papa unus jubere, ut servarentur Festa plura Sanctorum, Principibus id impetrantibus ob pietatem in Sanctos, aliusque jubere posteà, ne servarentur, Principibus impetrantibus, ut labori plebis consulerent. Quod siquis Pontifex in uno aliquo rescripto, & definitionem ederet, & privatam suam opinionem adjungeret, in hac quidem opinione posset errare; ut Nicolaus I. scribens ad Bulgaros dixit definiendo (quippe interrogatus) valere Baptismum ab hæretico ministratum in nomine Sanctissimæ Trinitatis; adjunxitque ut Doctor privatus (quippe præter interrogationem à Bulgaris factam) valere Baptismum collatum in Christi nomine: possetque Papa successor Rescriptum Decessoris quoad partem errantem revocare.

Insistis 7. exhibendo Epistolas Honorii dam-

damnatas a Synodo Sexta. Resp. Honorium in Epistolis duabus ad Sergium à Synodo damnatis fuisse Monothelitam favore, sicque à Synodo damnatum; non autem mente, & doctrina: seu favisse modo loquendi errori unius in Christo voluntatis; non tamen eum errorem tenuisse, neque Ecclesiam docuisse. Nihil itaque contra Ecclesiæ infallibilitatem in definiendo Factum. Nam Honorius non approbavit hæresin unius voluntatis; imò neque illi favit ex Cathedra, sed privata ad Serginm responsione. Quemadmodùm Liberius (ut id obiter dicam) non sensit Arianicè, sed tantùm Arianis favit privatè, æconomicève, consentiens exilio S. Athanasii: Videsis Antoine in *de Trinitate*. Neque item Synodus Sexta falsa est definiendo Hæreticum, ut re non erat, Honorium & ejus Epistolas; dixit enim anathema Honorio ut hæresis fautori, utque hæresi faventes damnavit Epistolas.

Ostendo illam, à qua reliqua descendunt, propositionem, Honorium fuisse Monothelitam favore, non tamen Monothelismum tenuisse, atque docuisse. Ostendo, inquam, multis: 1. ex Leone II. nam in Epistola ad Pogonatum, qua Synodum confirmavit, *Anathematizamus*, inquit, *novi erroris inventores Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Paulum; nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina illustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit*. Et in Epistola ad Episco-

ſcopos Hiſpaniæ dixit damnatum Honorium ; *qui flammam hæretici dogmatis non , ut decuit Apoſtolicam auctoritatem , incipientem extinxit , ſed negligentia confovit*. En Leo Sergium , Pyrrhum , alios dicit *novi errorrs inventores* ; Honorium verò non item : ergo non fuit mente , & doctrina Monothelita : vocat autem erroris *permiſſorem , & confotorem negligentia* : ergo favit Epiſtolis ſuis Monotheliſmo. 2. Ex Pogonato , Religioſiſſimo Imperatore , qui dixit in Edicto *Anathematizamus eos , qui novorum dogmatum Auctores , & fautores fuerunt , Theodorum dicimus , & Sergium : atque etiam Honorium horum hæreſeos Fautorem , concurſorem , atque confirmatorem*. 3. ex ipſa Epiſtola Honorii prima : ait enim *Hæc nobiſcum, Fraternitas veſtra , prædicet , ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus , hortantes vos , ut unius , vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes unum nobiſcum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi Deum veriſſimum in duabus naturis operatum Divinitus , atque humanitus Fide Orthodoxa , & unitate Catholica prædicemus*. En favorem Monotheliſmo præſtitum ab Honorio : nam dixit *abſtinendum* (quod Sergius eum rogarat) *a voce geminæ operationis*. At non docuit Honorius Sergianum errorem *unius operationis* : nam docuit *Chriſtum operatum in duabus naturis Divinitus , & humanitus*. Quod ſi ea in Epiſtola dixit *Unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chri-*

Christi, favit utique hoc loquendi modo Monothelismo; at non eum docuit; adjunxit enim: *Quia profectò à Divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata*. Itaque Joannes Symponus Honorii Amanuensis, quique ejus nomine scripsit ad Sergium, scribens posteà Joannis IV. jussu ad Constantinum Imper., dixit: *Unam voluntatem diximus in Domino, non Divinitatis ejus, & Humanitatis, sed Humanitatis solius. Cùm enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias diceret, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & Spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter Humanitatem signabat*. Tum Joannes ipse IV. ad Constantinum dixit in Epistola: *Prædictus Decessor meus docens de Mysterio Incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis, & carnis contrarias voluntates; quod quidam* (Monothelitæ) *ad proprium sensum convertentes, Divinitatis ejus, & Humanitatis unam voluntatem docuisse suspicati sunt; quod veritati omnimodis est contrarium*. Accedit S. Maximus ad Marinum dicens: *Honorium non diffiteri reor in Christo voluntatum dualitatem in Epistola ad Sergium, eò quòd unam dixerit voluntatem, sed potiùs confiteri*. En ternos de sana Honorii mente in Epistolis testes; & qui Monothelitis favisse modo loquendi non negant,

sed

ſed potiùs indicant, cùm unam in Chriſto voluntatem dixiſſe monſtrent. Itaque communior apud Antoine in de Incarnat. opinio eſt, Honorii Epiſtolas à Synodo eſſe damnatas ut hæreſi faventes, atque adeò nullo errore Facti Synodum erraviſſe.

Cui quidem opinioni vim addit 1. liber Diurnus Rom. Pontificum, in quo eſt profeſſio Fidei, qua Papæ damnabant *Auctores novi dogmatis Sergium, Pyrrhum &c. unà cum Honorio, qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impendit*. Vim addit 2. Adrianus, qui in Concilio Romano contra Photium dixit: *Quanvis Honorius poſt mortem ab Orientis Epiſcopis anathemate ſit affectus, manifeſtum tamen eſt, illum de hæreſi fuiſſe accuſatum, qua ſola in cauſa licet inferioribus in ſuperiores inſurgere. Quanquam & ibi nec Patriarcharum quiſquam, nec aliorum ullus Antiſtitum Sententiam pronunciare potuerit, niſi ejuſdem Primariæ Sedis accedente ad eam rem auctoritate*. Quanquam ergo hæreſis accuſatum, favoris tantùm hæreſi præſtiti damnavit Honorium Synodus Sexta; ſic enim damnavit Leo, qui Synodum confirmavit. Nec plùs probant Synodi verba. Nam dixit utique Act. 13. *Epiſtolas Honorii alienas ab Apoſtolicis dogmatibus*: ac *Sequi falſas doctrinas hæreticorum*, atque *Honorium mentem Sergii ſecutum eſſe, & impia dogmata confirmaſſe*; dixit Act. 10. *Scripta Honorii in unam, eamdemque impietatem concurrere cum Monothelitis*; dixit Act. 18. *Dæmonem per*

per Honorium scandala erroris suscitasse, unius voluntatis hæresin disseminando. At isthæc omnia de favore tantùm hæreticis præstito sensum habent: eaque fuit Synodi sententia; sic enim constat ex Leonis Epistola, qua Synodum confirmavit, & ex Edicto Pogonati, qui Synodo interfuit.

Sed quid, inquis, ad graves Theologos, ut Turrecrematam, Baronium, Bellarminum, qui Synodum Sextam in Honorii condemnatione errore Facti erravisse dicunt? Primò inquam, quid ad Leonem, ad Pogonatum, & Professionem Pontificum in libro Diurno? Gravioris multò sunt hæc ponderis, ac momenti. Deinde dico, Theologos illos humanum quid passos, dum Papæ vindicandi zelo abrepti Synodum erroris damnarunt. Primò enim gravius quid est Synodum errasse, solo licèt errore Facti, atque ex eo sententiam anathematis Papæ dixisse, quàm Honorium ab Episcopo Constantinopolitano, qui erat Sergius, subdolè informante scandalum ortum ex voce *unius operationis*, deceptum fuisse, atque adeò abstinendum ab ea voce Sergio respondentem hæresi Sergianæ favisse. Hoc enim facere Honorius potuit sine peccato, excusante eum ignorantia ex auctoritate Sergii parta, ac bona intentione ad vitandum scandalum. Quodsi ideò Honorius erravit errore Facti, erravit non ex Cathedra, sed in privato judicio, privataque ad Sergium Epistola. Deinde Theologi illi dum Papam defendunt Honorium, alterum

Papam vulnerant, Leonem scilicet, qui confirmavit Synodum, ac dixit, Honorium Monothelismum *negligentia confovisse*. Tertiò iidem Theologi admiserunt principium infallibilitatis Ecclesiæ in definiendis Factis, nempe infallibilitatem in rectè docendis Fidelibus, eisque in vera Fide continendis. En sensum Bellarmini lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Non habemus infallibile, quod Concilia fuerint, & hoc, aut illud definierint, nisi quia Ecclesia, quæ nunc est, & errare non potest, ita sentit, & docet*. At fuisse Concilia, & definisse Factum est. Tum lib. 3. de Eccl. Milit. cap. 14. *Nostra*, ait, *sententia est, Ecclesiam absolutè non posse errare, nec in rebus absolutè necessariis, nec in aliis, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, sive habeantur expressè in Scripturis, sive non*. Ergo non erravit Synodus 6. anathema dicens Honorio, & ejus Epistolis. Quare si Theologi objecti ex inadvertentia quadam, multò in illis credibiliore, quàm in tot Patribus Synodi, vel occasione alterius scopi, quæ mentem eorum rapuerant, negarunt infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis Factis, potiùs adhærendum est eorum principio certo de infallibilitate.

Nec dicas; Sergius, dum vixit, non allegavit Epistolas Honorii; non ergo illi favebant. Nam levissimum hoc est, ut Synodum, & Leonem errasse suspicemur. Quis enim Sergii mentem in non allegandis Epistolis pervasit? Ac fortasse ideò non allegavit, quia invenit earum

earum doctrinam reapse contrariam hæresi suæ, quanvis loquendi modò faverent. Nec 2. dicas, Agathonem, qui Synodo præfuit, scripsisse ad Constantinum Imperatorem, omnes suos Decessores confirmasse in Fide Fideles. Nam confirmavit Honorius sanà doctrinà. Sicut confirmavit Liberius. Nec dicas 3.: eadem sententia Synodus dixit anathema Sergio, & Honorio: ergo æquè utrumque Hæreticum judicavit. Nego ènim malè deductam æqualitatem: nam & si Synodus expressè non distinguat, tamen distinxit Leo II. qui Synodum confirmavit; distinxitque Pogonatus, qui Synodo interfuit; qui duo propterea mentem Synodi percalluerunt. Cùm ergo Leo Sergium *erroris Inventorem, fautorem* autem Honorium dixerit, id de Synodi sententia tenendum est.

Insistis jam 8. exhibens errantem errore Facti Innocentium 3. dum in Concil. Lateranensi Cap. *Damnamus* condemnavit doctrinam Joachimi Abbatis in libro adversus Petrum Lombardum. Resp. rectè, ac sine errore Facti damnatum esse librum, & doctrinam in eo contentam B. Joachimi (Beatum appello cum Bollandianis 29. Maj) Legi enim, quæ pro vindicando Ab. Joachimo scripsit Gregorius à Laude. Vult ille 1., Librum cum damnata doctrina non fuisse Ab. Joachimi, quia rectè sensit de Trinitate in *Concordia utriusque Testamenti*, & à Cælo quidem illustratus. At ideò quia illustratus tunc rectè sensit; id tamen non

 efficit,

efficit, ut in Magiſtrum ſcribens cespitare non potuerit, deficiente tunc illi Cæleſti illuſtratione, quæ permanens donum non fuit, ob occulta judicia Dei. Ut Sanctus quoque Abbas Caſſianus in Collatione 13., non aliis, docuit hæreſin Semipelagianam. Atque humanum eſt, Ab. Joachimum ſemel ſcripſiſſe malè de Trinitate, ſine hæreſi quidem formali, ut inquit Caput *Damnamus*: eſt autem Divinum, ſive ad Deum ſpectat, quod falſa non ſit Eccleſia in definitione, quale eſt Cap. *Damnamus*. Neque eximunt ab errore, ſine hæreſis culpa contracto, Ab. Joachimum ejus Sanctitas, & donum, quo fuit præditus, Prophetiæ, aut Intellectus Prophetiarum: nam donum hoc eſt Gratia gratis data, neque aſſiſtens homini in omnibus ejus cogitationibus; nihilque derogat Sanctitati vitæ error invincibilis, bonave fide incurſus ſine animo pertinaci, ſed cum ſubdito potiùs ſincerè (qualis fuit B. Abbati juxta Cap. *Damnamus*.) judicio Eccleſiæ. Nam vel Apoſtoli, antequàm Chriſtus redivivus *aperuiſſet illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*, Luc. 23. *neſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere*, Joan. 20. Vult 2. Gregorius, ut librum Ab. Joachimi compegerint quidam ejus æmuli. Id tamen non probat; nequit autem conjectura derogare certæ Concilii definitioni; imò hæc illam diluit. Quodſi de Ab. Joachimi mente licet conjectare, haud ille vellet affingi Concilio errorem Facti; crediſſet

diffet enim ejus definitionem volens, ac lubens, cùm Ecclesiæ judicio castè, ac verè sese subjecerit. Stat ergo, Sanctum, & Propheticum illum fuisse, scripsisse tamen malè de Trinitate in libro adversus Magistrum; neque deceptam errore Facti fuisse Ecclesiam in illo damnando: excusandum autem Gregorium, eò quòd faciliore tempore scripserit.

Alia dabimus argumenta §. 7. Nunc autem noto, Sententiam, quam fert Papa in Causis Beatificationis super Approbatione scriptorum hominis Venerabilis, haud esse definitionem de scriptorum bonitate. Nam sic res habet. (Quod videsis in Bened. XIV de. Can.) Cardinalis ponens, seu cui Causa est commissa, nominat secretò Revisores duos, qui scripta legunt, ac de illis judicant, judiciumque suum exponunt Congregationi Rituum; quodsi judicium Revisorum est, bona esse scripta, *censet* Congregatio, factaque relatione *censet* Papa, non quidem bona esse scripta, sed *posse procedi ad ulteriora*. Itaque de scriptorum bonitate ne privatè quidem judicat Papa, nedum definit. Quarè esse potest, ut ex falso Revisorum judicio procedatur ad ulteriora, ac deinde mala esse scripta reperiatur. * Sed cur, inquis, Congregatio, & Papa judicio Revisorum deferunt? Dico, non deferre judicantes, quod judicant Revisores: nam tantùm judicant Papa, & Congregatio, impletum jam esse, quod præscriptum est, ut procedi possit ad ulteriora, scilicet,

quod bene de ſcriptis judicaverint Reviſores, ſive hi dixerint, ſcripta bona eſſe. Proceditur autem, reſervato Fidei Promotori jure opponendi ſuis loco, & tempore. Ita autem res habet præ multitudine occurrentium Papæ negotiorum, ob quam nequit per ſeipſe, nequitque Congregatio ſcripta examinare.

* *Lege Bened. XIV. l. 2. de Canon. C. 34. n. 12.*

§. VII.

Non eſt ſine diſtinctione verum, Eccleſiam eſſe fallibilem in Factis perſonalibus.

ASſertio probatur 1. ex ſenſu ipſo, & uſu Eccleſiæ agnoſcentis in ſeipſa infallibilitatem in Factis perſonalibus definiendis. Nam Concilia plura dixerunt anathema cùm doctrinis, tùm perſonis. Ita Synodus Epheſina anathema dixit Epiſtolæ Neſtorii, & ejus perſonæ; Synodus Sexta Sergio, Pyrrho, & aliis: Quo anathemate dicto perſonis definivit Factum perſonale; nam definivit, perſonas docuiſſe verbo, vel ſcripto doctrinas hæreticas. Probatur 2. quia Concilia Œcumenica infallibiliter definierunt, ſe eſſe legittima; id autem definientes definierunt, eſſe Catholicos, & in Communione Eccleſiæ Patres illos, ex quibus coalita erant. Ita verò eſſe illos Patres Factum erat perſonale.

Probatur 3. Quia Factum eſt perſonale, quod Auctor, ſcriptorve doctrinæ hæreticæ illam animo intenderit. At Eccleſia ſæpe definivit,

vit, intentam esse ab Auctore scripti doctrinam hæreticam in libro contentam, aut verbo latam. Nam Act. 8. D. Petrus dixit Simoni Mago, *Donum Dei existimasti pecunia possideri ... Cor tuum non est rectum coram Domino*. S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt Propositiones Baj, *in sensu ab auctoribus intento*: ac verè id definitum esse agnovit Bajus, confessusque est coram Lovaniensi Facultate. (Gautier in Prodro. V. *Bajus*.) Nec dicas, esse damnatas Propositiones in sensu earum obvio. Nam dixit Papa, *Quanquam earum aliquæ sustineri possent*, quod in sensu obvio verum est: addiditque adversativè *in sensu ab auctoribus intento damnamus*. Nec dicas 2. Mentem Baj desumptam esse ex Propositionum contextu, in quo eam expresserat Bajus. Nam verum dicis; at ita exprimere Factum fuit personale; & definire mentem, in contextu licèt expressam, fuit definire sensum internum personalem: Ecclesia enim definivit mentem expressam; at hoc ipsò definivit mentem; fuitque à Spiritu Sancto assistente, quod Papa mentem in expressione contextus colligeret, quin falleretur.

Tum etiam Innocentius X. damnavit hæreseos Propos. Jansenii *in sensu a Jansenio intento*. Cumque homines quidam faterentur hæreticas Propositiones in sensu obvio verborum, negarent hæreticas in sensu Jansenii, Alexander VII. institit declarando, ac celebri *Formulario* constringendo, ut jurati damnarent Pro-

positiones, hæreticasve agnoscerent in Jansenii sensu. Itaque declaravit quidem, hæreticas esse in *sensu obvio*, & litterali; at etiam hæreticas in sensu a Jansenio intento, sive eum obvium sensum hæreticum fuisse a Jansenio intentum, & in mente habitum. Clemens vero XI. definit iones Innocentii, Alexandrique confirmavit Bulla *Vineam Domini*.

Probatur 4. Assertio: quia Ecclesia definivit, Adamum obisse sanctè. At hòc ipsò declaravit pœnitentiam internam Adami de peccato Originali; quæ factum fuit personale. Nec dicas, id esse rèvelatum in Scriptura. Nam bene est inquam ego; ergo non est dicenda fallibilis Ecclesia in Factis personalibus sine distinctione; sed siqua definiat revelata, in iis est infallibilis.

Atque inde probatur 5. Assertio: sunt enim quædam Facta personalia distinctè revelata in Scriptura; hujusmodi est Adami pænitentia. Sunt alia revelata confusè universali relatione: ita est revelatum, aliquos Sanctè mori in Ecclesia; aliquos esse hæreticos, dicente Christo Matt. 7. *Attendite a falsis Prophetis, qui.... intrinsecùs sunt lupi rapaces*. Si ergo Ecclesia definit, hunc Sanctè obisse, hunc intrinsecùs lupum, sive hæreticum esse, definit id, quod jam revelatum est, tantùmque proponit distinctè, assistente sibi, ac per eam loquente Spiritu Sancto, idem quod in Scriptura est confuse revelatum. Nihil ergo deest, ut sit infallibilis ejus definitio. Pro-

Probatur adhuc 6. Quando Ecclesia anathematizat indiscriminatim & textum, & auctorem, decidit heteredoxiam textus, & execratur auctorem ut heterodoxum, declaratque, ut talem a Fidelibus esse habendum. Decidit ergo heterodoxiam Auctoris: ob eam enim eum execrãdum Fidelibus præscribit. At Auctoris heterodoxia non stat sine interno sensu, & animo profundendi hæresin in textu: nam textus, etsi hæreticus, non efficit hæreticum Auctorem sine animo, & mente hæresin profundendi. Ergo eum animum decidit Ecclesia. Ille autem animus Factum est personale. Nec dicas, execrari Ecclesiam auctorem ut hæreticum tantùm externè. Nam 1. Hoc ipsum est Factum personale. Ac 2. Falsò id dictum probatur, eò quòd Illum. Fenellonium externè erroneum in libro *Les Maximes*, quem damnavit Innocentius XI., non execrata est Ecclesia, neque damnavit Librum *in sensu ab Auctore intento*, ac ne nominavit quidem Auctorem. Quando ergo anathema dicit personæ, ut Synodus Ephesina dixit Nestorio, cùm externam, tum internam ejus hæresin decidit. At fuit Synodus infallibilis in anathemate Nestorii. Ergo Ecclesia usu ipso declaravit se infallibilem, cùm Factum personale decidit. Alia videbimus postea §. 10. Interea sit

§. VIII.

§. VIII.

Occurrit Argumentis contrariis.

OPpones 1. ex quodam Scriptore : non habet Ecclesia infallibilitatem, nisi quæ requiritur ad rectè docendum populos res Fidei, & morum, & Religionis ; at eum in finem sufficit infallibilitas circa Fidei dogmata, & mores, & textus dogmaticos, seu circa sensum litteralem Scriptorum : ergo. Probatur minor : nam sensus personalis Auctoris veram Fidem neque adjuvare potest, nec depravare in aliis ; cùm lateat in mente. Resp. Nego minorem, & ejus probationem. Nam 1. Ad rectè docendum populos requiritur, quod Ecclesia in nulla fallat definitione ; si enim falleret in definitione Facti personalis, ab ea falsitate sumeretur argumentum ad falsitatem in definitione hetherodoxiæ, aut orthodoxiæ textuum dogmaticorum : cum etiam definiendo Factum personale definiat Ecclesia, proponatque Fidelibus credendum, quod Deus revelavit, seu dixit in Scripturis. Itaque ut Fideles audiant Ecclesiam, seu per eam verbum Dei, in nulla omnino definitione, seu Juris, seu Facti fallere possit necesse est. Quare hæreticis aversantibus Ecclesiæ infallibilitatem nimium conceditur, si esse fallibilem conceditur in definitione Facti personalis. Et vero juxta Scriptorem nunc argumentantem cùm Ecclesia damnat ut hære-

ticum hominem, declarat, ut talem esse a Fidelibus habendum. Eccur, rogo, sic habendus, si Ecclesia falli ac fallere potest in definitione? Ob eminentem, inquiet, Ecclesiæ auctoritatem. At undenam, rogo, hæc auctoritas, nisi quia per Ecclesiam docet populos Deus? Quodsi ita est, quando Ecclesia definiendo damnat ut hæreticum hominem, Dei interest, Divinæque auctoritatis, ne fallatur, neque fallat Ecclesia. Proinde hæc est infallibilis.

Secundò: sensus personalis, internusve Auctoris juvare potest, aut depravare Fidem in aliis, 1. Quia si hæreticus est sensus ille, per eum constituitur Auctor *lupus intrinsecùs rapax*, a quo Christus Matt. 7. præcepit attendendum: intrinsecùs inquam, quia interna mente: 2. Quia non agnito sensu interno, & personali æstimari potest, ac solet Auctor ut sanus: æstimaturque ideò ejus doctrina: ac difficilè admodùm adducetur, aut omninò non adducetur Fidelis simplex, seu rudis, ut credat pravam doctrinam Auctoris, quin pravus esse credatur. 3. Quia textus idem verborum in uno Auctore potest, ac solet esset erroneus ob sensum Auctoris personalem, ita ut in alio sit Catholicus ob sensum ejus personalem contrarium. Quandoque igitur damnari definiendo non poterit scripti sensus litteralis, nisi damnetur personalis. Ita S. Pius V. in Bajanarum propositionum damnatione dixit, *quanquam earum aliquæ sustineri possent, in sensu ab Au-*

cto-

floribus intento damnamus; ac rectè id quidem, nam & agnovit Bajus sensum suum internum rectè damnatum; & pravè dixit *Liberum hominis arbitrium non nisi ad peccandum valet*, quod totidem ferè verbis sano sensu dixerat S. Augustinus. Quanquam ergo lateat in mente sensus personalis, juvare potest, aut depravare Fidem in aliis.

Replicat autem Scriptor: Sensus personalis pertinet ad cordis secreta, quorum cognitio ad solum Deum attinet, qui Scrutator est cordium: ergò eum sensum nequit Ecclesia certò, infallibiliterque cognoscere. Respon. distinguo antecedens: Sensus personalis est cordis secretum, quod tamen verbis suis prodit Auctor libri, concedo; non ita, nego: nam ex contextu ipso libri, aliisque adjunctis externis, ut notavit Suarius in Bajo tom. 1. de Gratia, sumitur, & dignoscitur Auctoris mens, & intentio; subiicitque Auctor seipse judicio Ecclesiæ, hòc ipsò quod verbis se prodit suis. Distinguo etiam consequens: ergo sensum personalem nequit Ecclesia certò, infallibiliterque cognoscere, Deo illum non ostendente, concedo; Deo ostendente, nego. Scrutator cordium Deus non modò scit certò, & clarè secreta cordium vel abditissima, sed etiam potest ea Ecclesiæ patefacere, & per Ecclesiam Fidelibus. Ac patefecit quidem plurima in Scripturis: abundant enim revelationibus secretorum cordis Libri Historiales ab Adamo usque

usque ad Machabæos, abundantque Evangelia, & Actus Apostolorum, ubi Cap. 8. cognovit certò, & infallibiliter Christi Vicarius cor pravum Simonis Magi. Porro sensum personalem, internumve hæreticorum revelavit Deus in Scripturis sæpè, e. g. Matt. 7. in verbis *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*: quia verò revelavit confusè, constituit Ecclesiam Interpretem verbi sui, per quam, cùm definit, revelat distinctè, quod revelarat in Scriptura confuse. Nam & constituit Interpretem in revelationibus Juris obscuris. Assistit autem Ecclesiæ definienti, aut Jus obscurè, aut Factum revelatum confusè, ne fallat, adeòque ne fallatur definiendo, assistit, inquam, Spiritus Sanctus, qui noscens corda hominum consummat per definitionem Ecclesiæ revelationem obscuram, confusamve Scripturæ; itaque patefacit ipse Ecclesiæ, ac per Ecclesiam Fidelibus sensum internum, ac personalem Auctoris, quem definiendo judicat, & declarat hæreticum.

Sicut ergo est Ecclesia *definiens* infallibilis in cognoscendo, & docendo Jus obscurè revelatum, & a Deo intentum in Scripturis sensum: ita est infallibilis in cognoscendo, & docendo Factum revelatum confusè, ac sensum ab uno aliquo humano Auctore intentum in scripto suo. Quod sic ostendo etiam: arcani-

nius Divinæ Mentis Secretum eſt ſenſus Dei loquentis in Scriptura, quàm ſenſus hominis cujuſpiam in Scripto ſuo: ſed noſcit certò, docetque infallibiliter Eccleſia definiens ſenſum Dei loquentis obſcurè in Scriptura, Deo ipſo illam illuſtrante, & docente: ergo cognoſcit certò Eccleſia definiens, docetque infallibiliter ſenſum internum hominis loquentis, etſi obſcurè, in ſcripto ſuo, Deo etiam illam illuſtrante, & docente. Atque ita quidem novit, docuitque Synodus Epheſina ſenſum perſonalem Neſtorii, & Innocentius X. ſenſum à Janſenio intentum in quinque Propoſitionibus, & Pontifices alii, atque Concilia ſenſum aliorum Auctorum, quos, *definiendo*, judicarunt.

Ac noto, ut Eccleſia damnet, *definiendo*, Auctorem aliquem ut hæreticum etiam in ſenſu perſonali, ſufficere, quod is ſcripſerit, dixeritve propoſitionem hæreticam, idque humano teſtimonio conſtet Eccleſiæ. Quanquam enim hoc ſit fallibile, tamen cùm Eccleſia definit hæreticum hominem, teſtimonium humanum non fefellit, providente Deo ne fallat, ut ſupra vidimus; nec fallit Eccleſia in definitione, aſſiſtente illi Spiritu Sancto. Quodſi diligentem inquiſitionem præmittere debet Eccleſia, ut procedat ad definiendum, credere debemus Fideles, ac certi eſſe, nihil debitæ diligentiæ defuiſſe, ſi Eccleſia proceſſit ad definiendum,

ac

ac definivit. Spiritus enim Sanctus efficit, ne definiendo fallat. Itaque judicium est infallibile semper ac est definitio Conciliaris, vel Pontificia; procedit enim non tantùm ex allegatis, & probatis humanè, sed ex Dei revelatione, universali licèt, & confusa, quam definitio ipsa distinctè proponit, Spiritu Sancto assistente. Quodsi Auctor, quem definit hæreticum Ecclesia, sit vivus, constabit præterea Ecclesiæ, eum pertinaciter tueri, aut tenere errorem suum, si non se velit judicio Ecclesiæ subiicere: ejusmodi enim pertinacia ad hæresin formalem requiritùr. Quodsi mortuus jam sit Auctor, cùm judicatur, sufficit justa præsumptio, quod scilicet hæretica scripserit, neque ante mortem resipuerit, seu non Scripta sua judicio Ecclesiæ sincerè subjecerit.

Ut Fideles autem intelligant, qualis sit Ecclesiæ Sententia, attendendum primò est, num ea Sententia sit Conciliaris definitio a Papa confirmata, aut locutio Papæ ex Cathedra: tunc enim sententia est infallibilis, quantunvis personalis sit sensus definitus. Deinde attendendum est, quid Ecclesia definiverit. Nam aliquando anathematizat & textum, seu Scriptum, & personam Auctoris: sic Synodus Ephesina in Nestorio; tuncque definit erroneum cùm textum, tum Personam, seu sensum tum litteralem Scripti, tum personalem. Aliquando definit erroneum textum, & sensum ab Auctore intentum, quin Auctorem anathematizet,

zet, ac dicat hæreticum: ita definivit ſenſum Baj, & Janſenii in damnatis eorum Propoſitionibus; ac tunc definit ſenſum tum litteralem, tum perſonalem erroneum eſſe: non ideò tamen definit hæreticam formaliter perſonam Auctoris: eſt enim *formalis hæreticus*, qui non modò habet ſenſum internum hæreticum, ſed habet cum pertinacia, agnoſcens ſcilicet hæreticum, & tamen illi aſſentiens, ac nolens ſtare Eccleſiæ judicio. Poteſt autem quis habere in mente, & intendere ſenſum reapſe hæreticum, non tamen eum agnoſcens hæreticum, ſed bono corde, ac ſeſe judicio Eccleſiæ ſincerè ſubmittens. Itaque Caput *Damnamus* de Sum. Trinit. damnavit doctrinam B. Joachimi Abbatis in libro adverſus Lombardum, & declaravit expertem hæreſis B. Joachimum. Aliquando Eccleſia definit ſenſum litteralem libri abſtractum penitus ab Auctore; tuncque nihil de Auctore definit; nec definit, eſſe hujus Auctoris librum, ſi eſſe non affirmat: ita damnavit Innocentius XI. ſexagintaquinque Propoſitiones. Aliquando damnat Textum, qui cujus ſit Auctoris non ignoratur, attamen tacet ipſa Auctorem; ac tunc nihil de Auctore definit: ita damnavit idem Innocentius librum *Explication des Maximes des Saintes* Illmi Fenellonii, qui quàm non eſſet formalis hæreticus Chriſtianiſſimè oſtendit, cùm ipſe per ſe legi in templo libri ſui condemnationem, rectèque damnatum palam profeſſus eſt. (Hiſt. Conſt. *Unigenitus*.)

No-

Noto præterea, non esse Hæreticum, præsertim formalem, qui sentit, & docet, quod Ecclesia nondum definivit hæreticum esse, sinceròque credit animo, quidquid Ecclesia definivit, paratus, etiam contra propriam opinionem, credere, quod definiat. Ita non fuit hæreticus S. Irenæus tenens opinionem Millenariorum; nec Sanctus Augustinus tenens aliquando, quam posteà abjecit, doctrinam Semipelagianorum de initio Fidei habito sine gratia Christi. Itaque cum Ecclèsia damnavit aliquam doctrinam, aut siquam damnet, non dum damnatam, traditamque ante damnationem ab aliquo Patre, aut Doctore certè Catholico, non ideò Patrem, Doctoremve damnat hæresis, tametsi damnet sensum à Patre, aut Doctore intentum; neque Patris, aut Doctoris honori detrahit: falsò enim quandoque sensisse humanum est; Ecclesiæ autem judicio sese subdidisse laudandum.

Replicas tamen: quanquam Ecclesia possit certò cognoscerè sensum Dei loquentis in Scripturis, haud ideo potest sensum hominum in Scriptis eorum: nam Deus non est subdolus, subdoli autem homines sunt. Tum potest homo præter, & contra mentem loqui, itaque ex ejus verbis haud certò sumitur ejus mens. Resp. ad 1. Etsi non sit subdolus Deus, tamen & obscurè in Scriptutris, & multiplici sensu locutus est, neque sensum Dei Ecclesia cognosceret, nisi illi assisteret Spiritus Sanctus, assistente autem

& docente, cognoſcit, Fidelibuſque proponit: ita ſimiliter cognoſcit, quem reapſe habuerit homo ſenſum, & ſi ſubdolus ſit. Reſp. 2. Si præter, aut contra mentem locutus ſit homo, ne tum quidem falleturEccleſi definiens; nam reget eam Spiritus Sanctus, ne falsò definiat, ob Chriſti promiſſionem, ne deficiat Fides ſua: ſicut eam regit, cùm definit Jus.

Oppones 2. Eccleſia nondum definivit, ſe eſſe infallibilem in Factis perſonalibus: ergo non eſt. Diſtinguo antecedens: non definivit expreſſis verbis, concedo; facto, ſive uſu, nego; ſcilicet infallibilem cùm definit. Nam à Divo Petro uſque adhuc definivit, credendoſque propoſuit, ut vidimus, ſenſus perſonales. Replicas: Multi Theologi cenſent fallibilem Eccleſiam in Factis perſonalibus definiendis; ergo ne Facto quidem definivit ſe infallibilem Eccleſia. Permitto antecedens: ſed iidem Theologi agnoſcunt, traduntque principium certum infallibilitatis in definiendis Factis: cenſent enim infallibilem Eccleſiam in definiendo Jurè; ex quo ad definitionem ſenſuum perſonalium eadem eſt ratio, quod ſcilicet per Eccleſiam definientem loquitur Deus. Tum iidem Theologi agnoſcunt Fide Divina credendam pravitatem Simonis Magi à Divo Petro aſſertam Act. 8. & pœnitentiam internam Adæ, mortemque in Gratia Dei ab Eccleſia declaratam; & hæreticitatem Neſtorii a Concilio Epheſino definitam; ac ſic alia. Mirum

rum autem non eſt, ſi anteJanſenianarum propoſitionum damnationem minùs cautè Theologi locuti ſunt. Nam cùm *oporteat hæreſes eſſe, ut ii, qui probati ſunt, manifeſti fiant*, ſolemne fuit in Eccleſia, exortis ſubinde controverſiis, Theologos Fideles fieri cautiores in loquendo, clarioreſque, ac certiores fieri quaſdam doctrinas. Quid nunc dicerent poſt damnatas Janſenii propoſitiones *in ſenſu a Janſenio intento?* Senſus enim intentus Factum eſt perſonale. Quid dicerent colligere licet ex Bellarmino ſuprà allegato lib. de *Sacram.*, & lib. de Eccl. Invenerunt porro quidam Catholici Theologi diſtinctionem *Facti dogmatici, & perſonalis*. At ea diſtinctio haud omnibus placuit. Mirum non eſt, ſi quidquam Janſenianis quibuſdam indulſerunt Theologi illi, ne aliò diverterent. Sed jamnum alia ſunt tempora. Nec verò diſtinctio illa ſatisfacit. Nam hæreticas dixit Eccleſia propoſitiones quinque Janſenii *in ſenſu à Janſenio intento*: definivit ergo ſenſum perſonalem. Quid igitur? Falſane fuit Eccleſia in eo definiendo? Negas, eum definiſſe, quia hæ voces *in ſenſu ab Auctore intento* ſignificant *ſenſum ab Auctore expreſſum* in libro, itaque ſenſum litteralem libri, & obvium verborum. At verò quænam Grammatica *exprimere* uſurpavit pro *intendere?* Tum mentiri quid eſt niſi aliud verbis *exprimere*, aliud *intendere?* Non ergo *intendere* idem eſt ac *verbis exprimere*. De inde Janſeniani homines profite-

bantur hæreticas quinque propositiones in sensu verborum obvio; negabant hæreticas in sensu Jansenii: eamque ob rem Alexander VII. præscripsit *Formularium* adigens Clericos Gallos, ut jurati agnoscerent, ac sincerè censerent hæreticas propositiones in sensu à Jansenio intento: ergo Alexander non usurpavit vocem *intentum* tantùm pro *expressum verbis*; hic enim est sensus obvius, sed pro *in mente habitum*. Demum damnatis a S. Pio V. Propositionibus Baj *in sensu ab Auctore intento*, Bajani dicebant, esse damnatas in alio, quàm sensu interno Baj; Bajus autem agnovit, & confessus est, sensum suum internum fuisse damnatum. Quid etiam cùm Ecclesia, & Papæ anathema dixerunt personis hæreticis, ut Nestorio, ac Sergio? nonne earum sensum internum anathemate perculserunt, hæreticumque esse definiverunt? Dicaturne falsa Ecclesia tot in Factis? Absit, inquiunt, Theologi Catholici. Dicatur ergo, falsam esse nunquam, nunquamque fallibilem in Facto personali, cùm illud definit. Dicatur, inquam, quia tunc etiam definit Factum revelatum, ac definit, assistente Spiritu veritatis, dicenteque distinctè per Ecclesiæ definitionem, quod dixerat in Scripturis confusè.

Opponeș tamen 3. infallibilitas Ecclesiæ in definiendo Facto, ac sensu personali non est de Fide: ergo nec certa. Resp. 1. Dato antecedente, nego consequentiam. Nam vel Aucto-

ctores illi, qui negant esse de Fide Gloriam æternam Sancti Canonizati, agnoscunt, adeò esse certam, ut sit temerarium de illa dubitare. Ac certa est, siminùs de Fide, infallibilitas Ecclesiæ in definiendis Factis personalibus revelatis, confusè licèt in Scriptura; legitimè, enim deducitur tanquam ConclusioTheologica ex præmissa de Fide in hoc ratiocinio: *Ecclesia est infallibilis in definiendo Jure confusè revelato: ergo est infallibilis in definiendoFacto revelato etiam confusè*. Quare Resp. 2. distinguendo antecedens: infallibilitas Ecclesiæ in definiendo Facto, ac sensu personali non revelato, ne confusè quidem, nego suppositum, quod unquam definiverit, aut sit definitura ejusmodi Factum; neque enim facit Ecclesia novas revelationes, sed proponit factas in Scripturis, aut Traditione: non est de Fide Ecclesiæ infallibitas in definiendo Facto revelato, subdistinguo: non est de Fide certò certitudineFidei, & quoad imputationem, esto: non est de Fide certò certitudine Theologica, ac reapse, nego; tametsi sintCatholici Theologi, qui negent; nam etiam cùm S.Cyprianus restitit S.Stephano, non erat quoad imputationem de Fide valor Baptismi ab hæretico ministrati; erat tamen in se.

Oppones 4. non est de Fide Factum personale, quod Ecclesia definit: ergo non est infallibilis Ecclesia in eo definiendo. Probatur antecedens 1. Quia esset novus Articulus Fidei. 2. Quia est veritas contingens. 3. Quia

eſt veritas, e. g. Sæculi decimiſeptimi. Reſp. juxta modò dicta negando aſſumptum. Et diſtinguo 1. Probat: eſſet novus ſimpliciter Articulus Fidei, nego; eſt enim veritas antiquitus revelata in Scripturis; novus ſecundum quid, concedo; eſt enim denuò propoſitus ab Eccleſia. Diſtinguo etiam 2. prob, & 3. eſt veritas contingens, & Sæculi decimi-Septimi abuſque primo revelata in Scripturis, concedo; non ita, nego. At etiam Synodum Tridentinam fuiſſe legitimam eſt veritas contingens, & Sæculi decimiſexti, eſtque de Fide.

Oppones 5. doctrina eſt Theologorum, cum Eccleſia definit Factum, e. g. hæreticum ſenſum Janſenii in quinque propoſitionibus, deberi quidem aſſenſum Fidei, ſed Eccleſiaſticæ, non Divinæ. Reſp: eam doctrinam ab Illmo Boſueto primùm inventam haud placuiſſe omnibus Theologis, ut in ſcriptis eorum apparet: tum eam doctrinam haud commodè explicari. Dicitur enim (apud Antoine) *Fides Eccleſiaſtica*, quæ credit ob auctoritatem Eccleſiæ, quæ, Dei licèt non ſit, eſt tamen infallibilis, quia definit cum ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, quacum errare nequit. At ego bene eſt inquam 1. ergo jam non eſt, quod ajebas, Eccleſia fallibilis in Facti perſonalis definitione; nec licitum eſt illud credere, vel negare. 2. Eccleſia definiens Factum revelatum cum ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, ne erret, nonne eſt Eccleſia, per quam Spiritus Sanctus

ctus loquitur Fidelibus Christi? est, inquies. Ergo est Fidei Divinæ. Inde 3. sic: Ecclesie definient Jus cum speciali Spiritus Sancti assistentia, ne erret, debetur Fides Divina, seu quæ habeatur Deo: ergo etiam Ecclesia definiente Factum personale; utrobique enim Fidelibus proponitur veritas à Deo revelata.

Oppones 6. novum est, quod dicitur, Ecclesiam definientem Factum personale proponere Factum revelatum. Nego falsum assumptum: nam vetus est sententia Theologorum, revelata esse formaliter, & immediatè objecta, quæ formaliter significat, etsi confusè, revelatio universalis; e. g. revelatam esse redemptionem singulorum hominum existentium aliquando in hac revelatione *Pro omnibus mortuus est Christus*; revelatam esse fugam singulorum Apostolorum in hac revelatione, *Omnes relicto eo fugerunt*: itaque & esse revelatam legitimitatem Octodecim Conciliorum generalium; & revelatam esse hæreticitatem singulorum aliquando existentium hæreticorum in ea revelatione *Attendite a falsis Prophetis* &c.

Quare nec novum est, quod dicitur, Ecclesiam esse interpretem verbi Dei revelantis Facta, etiam personalia, confusè universali revelatione. Nam semper agnitum est in Ecclesia, eam esse ejusmodi interpretem; cùm à D. Petro Act. 8. usque adhuc Facta personalia definierit, & credenda proposuerit Ecclesia: cùm continenter Concilia se ipsa definiverint

esse legitima: & Concilia, ac Papæ anathema dixerint personis hæreticorum. Sit nihilominus.

§. IX.

Solvuntur argumenta quædam ab exemplis petita.

OPpones 1. Si Ecclesia unquam falsa est definiendo Factum personale, haud est infallibilis in eo definiendo; at falsa est identidem: ergo. Probatur minor exemplis. Nam 1. Concilium Antiochenum proscripsit vocem *Christotocos*. 2. Hormisdas damnavit dictum *Unus de Trinitate passus est*. 3. Julius approbavit scripta Marcelli Ancirani. 4. Zosimus approbavit Epistolam Pelagii. 5. Zephirinus approbavit Priscam, & Maximillam. 6. Benedictus II. damnavit propositiones Sancti Juliani. 7. Sancti Stephanus, & Cyprianus contraria senserunt. 8. Sic item Nicolaus 4. & Joannes 22. 9. Innocentius VIII. damnavit Picum Mirandulanum.

Resp. nego minorem. Ad ea exempla priusquàm respondeam, noto; quibusdam, 1. nempe, 2. 5. 7. 8. impeti Ecclesiæ infallibilitatem in quæstionibus Juris: ad ea igitur respondere debet quisquis Catholicè agnoscit eam infallibilitatem: respondebo itaque breviter ex aliis Auctoribus. Resp. ad 1., proscriptam esse vocem *Omousios*, seu *ejusdem naturæ* in sensu Pauli Sa-

Samosateni significantis, esse unam Perso Æternum Patrem, & Filium. Ac vox Oſios, seu *similis naturæ* displicuit Ecclesiæ in Semiarianis significantibus distinctionem Essentiæ in Patre, & Filio. Vox *Christotocos* displicuit in Nestorio volente, Matrem Christi non esse Matrem Dei, nolentisque ideò dici *Theotocon*. Ad 2. Hormisdas non damnavit, sed æconomici prohibuit eam propositionem, quia turbas ciebat; atque hoc sensu non *conveniebat Fidei*, cùm eam turbaret eo tempore; quo mutato, sedatisque turbis, declaravit eam sanam Joannes II. Ad 3. Julius appròbavit in Marcello Professionem Fidei, quæ non est erroris convicta: vide Pagium in Julio. Synodus verò Sardicensis probavit illa scripta Marcelli, quæ erroris non convincuntur, & si alia habeat erronea. In scriptis iisdem absolvit eum Synodus eadem, atque Romana. Ad 4. Zosimus non reprobavit Epistolam Pelagii ad Innocentium, sed quæ non erat prava in doctrina, tametsi subdola in tacendo hæreses suas. Nec verò approbavit definiendo. Neque erravit approbans libellum Celestii negantem peccatum originale; nam dixit Celestium *Catholicum*, quatenùs se subiicientem Ecclesiæ judicio. Sic S. August. lib. 2. ad Bonif. cap. 3. Ad 5. Zephirinus non approbavit hæresin Montani, Priscæ, & Maximillæ, sed ut summùm putavit privatim, non autem definiendo, habuisse à Deo revelationes, quas non habuerant. Non aliud

pro

acit Tertullianus. Ad 6. Benedictus II. non navit Propositiones S. Juliani *Voluntas genuit voluntatem* : *Tres sunt in Christo substantiæ* ; sed hortatus est, ut exponerentur ad vitandas turbas, ac *solidæ efficerentur* expositione. Id patet ex Concil. Tolet. 15. Ad 7. dico, falsum non fuisse S. Stephanum, sed deceptum S. Cyprianum, quo tamen tempore res non erat definita ab Ecclesia: nam ne Stephanus quidem definivit, rebaptizandos non esse, qui essent ab hæretico Baptizati, sed tantùm vetuit rebaptizari, ut servaretur antiqua consuetudo: & mitius quidem agens cum Cypriano, & asseclis ejus Episcopis, nec pænis eos adigens, propter bonum pacis. Itaque Cyprianus, atque alii Episcopi non restiterunt Pontificis definitioni, sed tantum præcepto. Peccarint autem, necne nostrum non est judicare, cùm intentionem eorum, corque non perspexerimus. Dico itaque ad 8., Nicolaum, & Joannem non definisse pugnantia. Nam Nicolaus declaravit tantùm aliqua, statuitque in Regula Franciscanorum, qua occasione suam opinionem circa perfectionem paupertatis exposuit, ut ejus ex verbis patet, testaturque Joannes Extrav. *Quia quorumdam*. Joannes verò Extrav. *Inter nonnullos* & *Ad Conditorem* solùm definivit, hæresin esse asserere, Christum, & Apostolos nihil habuisse neque in speciali, neque in communi; vel non habuisse jus utendi rebus, quas usu absumebant. Quod non affirmavit Nicolaus ne

ut

ut Doctor quidem privatus, ut patet Extrav. *Exiit*, & notavit Joannes Extrav. *Quia quorumdam*. Ad 9. Innocentius non definivit pravas Pici propositiones: nam solùm dixit, visas esse pravas Censoribus: itaque prudenti consilio vetuit earum lectionem: id quod pertinet ad disciplinam, quam variavit, mutatis circumstantiis, Alexander VI., lectionem permittens.

Oppones 2. Celebre exemplum *trium capitulorum*, sive Scriptorum Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ contra 12. Capitula S. Cyrilli. Hac in re, inquis, pugnarunt S. Leo, & Concil. Gener. 5. Respon. pugnarunt in definitione, nego; aliter, esto. S. Leo non dixit *sana* scripta Theodoreti, quæ Concilium dixit hæretica; sed laudavit personam Theodoreti, ob ejus in Ecclesia labores; à qua laude abstinuit Concilium. Nec censuit S. Leo, non fuisse Theodoretum hæreticum in Capitulo, sed non taxandum ejus nomen (id quod est disciplinæ) eò quod esset de Ecclesia benemeritus: egit ut Pater; Concilium verò ut Judex egerat severius.

Inquis autem 2. in Concilio Chalced. tres S. Leonis Legati laudarunt Epistolam Theodoreti. Id nego; sed commendarunt Theodoreti personam: de hac actum est in Concilio Act. 1. In 8. Synodi cura fuit, ut Theodoretus Nestorium anathematizaret, seque ita purgaret ab hæresis nota. Quodsi Marius, & Anatholius laudarunt doctrinam, hæc in aliis ejus scriptis

bo-

bona erat; nec Marius, & Anatholius fuerunt Concilium. Itaque nec S. Leo, nec Synodus Chalced. pugnarunt in judicio dogmatico, & definitione cum Generali 5.

Inquis 2. in Concilio Chalced. tres S. Leonis Legati laudarunt Epistolam Ibæ, Resp. 1. Legatos verba, quæ opponuntur, non dixisse, ex instructione S. Leonis, ut constat ex ejus Epistola 62. Nec refert, consensisse reliquos Patres; nam consenserunt in favorem personarum, de quibus unicè locuti sunt; & verò postularunt, ut Ibas purgaret se anathematizando Nestorium. Tum Legati dixerunt *Orthodoxam* Epistolam Ibæ, sed fortasse ob Clausulam ejus finalem, in qua approbavit pacem Sancti Cyrilli, & Joannis Antiocheni factam, prævia Nestorianismi damnatione.

Nec pugnarunt Concilium 5. & Chalcedonense; nam hoc omisit damnare ea Ibæ scripta quæ damnavit Concilium 5. quia iis Nestoriani tunc abutebantur. Et verò Chalcedonese damnavit omnia scripta Nestoriana, itaque damnavit saltem implicitè scripta, seu Capitula Theodoreti, & Ibæ; pepercit autem eorum nomini, cùm sese purgassent Nestorium anathematizantes.

Inquis 3. Vigilius dissensit à Concilio 5. Nego, sed, sicut S. Leo, tantùm voluit non taxata nomina Theodoreti, & Ibæ. Et verò in Constituto 1. damnavit plura ex Theodoro, & Theodoreto expressa. Ibæ autem Epistolam lau-

laudavit in Clausula ejus finali, sive ob illam. At inquis 4. Concilium reprobavit Clausulam illam: ait enim, *Qui dicunt, priora quidem Epistolæ impia, ultima verò recta, calumniatores demonstrantur*. Resp. locutum Concilium de ultimis præter Clausulam finalem; nam pergit dicere, *Posteriora enim inserta Epistolæ plena sunt majori impietate sanctæ memoriæ Cyrillum injuriantia*; at Clausula finalis nihil Sancto injurium continet. Inquis 5. Saltem Constitutum 1. Vigilii pugnat cum 2. hoc enim revocatur illud. Resp in utroque damnari impia dogmata *trium Capitulorum*; at 1. abstinet à taxandis personis, 2. non item. Est ergo varietas ut summùm in disciplina punitiva, quæ varia pro varietate temporum esse potest. Porro quæ de Constituto 1. eadem dicimus de Judicato Vigilii ad Mennam, & Decretali ad Eutychium; hæc enim duo non favent nomini Auctorum, cui favit Constitutum.

Inquis 6. Pelagius I. in Epist: ad Childeb. dixit, *Tria Capitula esse extra Fidem*. Resp. Capitula fuisse sæpe damnata; controversum tamen de taxandis nominibus Auctorum: de hac controversia dixit Pelagius I. esse extra Fidem. De hac dixit Pelagius II., in Chalcedonensi post Actionem 6. nihil de Fidei Causa, sed sola negotia privata esse versata. Sed dixit, *etsi omnes Episcopi Chalcedonenses subscripsissent Orthodoxiæ de Epistola Ibæ, posse tamen reprehendi, ac retractari*; Nempe quia in Actione 6.

con-

consummata est causa Fidei contra Euthichen: itaque tunc propriè finem habuit Concilium auctoritate S. Leonis habitum. Quare post eam Actionem Patres Martiano dixerunt *Dimitte nos*; fuitque deinceps Conventus Chalcedonensis ferè Imperatorius, neque approbationem habuit à Sancto Leone. Hæc constant ex Pelagii II. Epist. 5. qui propterèa dixit, agens de Controversia trium Capitulorum, *Nil nunc aliud nisi de personis agitur, nil de S. Synodi Chalcedonensis Fide quæritur*: ac similia dixit S. Gregorius M.

Inquis autem 7. ergo in judicio de personis non est de Fide, si Papa judicet, si Concilium, personam aliquam esse hæreticam. Distinguo: in judicio dogmatico, nego; criminali disciplinæ, concedo. Quod Persona sensum habuerit hæreticum in scripto suo, quodque eum sensum intenderit, pertinet ad judicium dogmaticum, nam hæresin esse Juris est: quod verò Auctor dicatur hæreticus, idve taceatur, est disciplinæ, & judicii criminalis; est enim pœna. Concilium General. 5. judicavit dogmaticè, esse hæretica tria Capitula, habuisseque in illis hæreticum sensum Auctores; contra hoc nullus Papa, nulla Synodus judicavit: at judicavit criminaliter, dicendos non esse hæreticos auctores: agens scilicet mitiùs, cùm mutatæ jam essent circumstantiæ; nam Theodoretus, & Ibas jam Nestorium anathematizarant.

In-

Inquis 8. nonnullos Theologos dixisse, posse tria Capitula trahi in bonum sensum. Resp. S. Pium Bajanas propositiones damnantem dixisse, *Quamquam earum aliquæ substineri possent; in sensu* tamen *ab Auctoribus intento damnamus*, idque verè dictum agnovit, & confessus est Bajus ipse, qui, quod Sanissimè Sanctus Augustinus, pravo ipse sensu affirmavit. Quo ergo sensu damnavit hæresis tria Capitula Ecclesia, eo illa hæretica erant, etsi alio sana esse possint. Nec verò Conciliari definitioni rectè opponitur quorumdam Doctorum Sententia: in illa enim, neque in hac dicitur, quod *Spiritui Sancto visum est*, Act. 15. Sic etiam in Jansenianarum quinque propositionum examine fuerunt Theologi quidam, quibus visæ sunt aliquæ sanæ, & tamen hæreticas definivit Ecclesia; cujus definitioni illi iidem Theologi subscripserunt, judicio stantes Ecclesiæ. Hactenùs de tribus Capitulis.

Nec necessarium jam videtur plura argumenta proponere; nullo enim convincitur falsa Ecclesia, Papave, aut Concilium à Papa confirmatum in Definitione aliqua Facti, etiam personalis, Nam quæ congessit Cano libro 5. ac 6. *de Locis*, ipse dissolvit, ostenditque, nullum exemplum proferri, quod Summus Pontifex in Fidei judicio contra Fidem definierit. Quæ verò post Canum objecta sunt, ea Polemici alii, apud quos videre licebit, retuderunt: oportet autem, ne opusculum istud,

omnia

omnia ſiquidem proponat, perpendatque, fiat longiuſculum.

Quarè ad diluenda, quæ ex Pontificiis, Conciliaribuſve Decretis obiici poſſunt, dumtaxat noto, contingere quidem poſſe, ut contraria ſint inter ſe Decreta, quin tamen ideò falſitatis aut in Jure, aut in Facto quidquam contineant: nempe quia non de una, atque eadèm re decernunt contraria, ſed de diverſis; quæ diverſæ ideò ſunt, quia diverſis utique verbis proponuntur quæſtiones, ad quas Concilia, Pontificeſve reſpondent: atque ut eſt in proverbio *diſtingue tempora, & concordabis jura*, ita dici poteſt *diſtingue dubia, & concordabis Definitiones*: nam interrogatio, & reſponſio cohærere debent. Qua ſola animadverſione invenientur falſitatis expertia Reſcripta ſæpe, quæ falſitatis obnoxia labi eſſe videantur. Tum illud eſt attendendum, ne ſcilicet contra Inauditam partem feratur ſententia; hoc eſt, ne Decreta crimine falſi damnemus, quin ea perſpecta uſquequaque habeamus; ne ex iis ſimus, qui *quæ ignorant, blaſphemant*. Sit itaque

COROLLARIUM.

Cum ſit Eccleſia infallibilis etiam in Factis perſonalibus, ſi quod definit, haud unquam ſolvetur argumentum, ſi quod objiciatur contra Eccleſiæ infallibilitatem, ſi reſpondeatur, errorem fuiſſe in Facto perſonali; ſed dici

ci debebit, errorem (Si quis fuit) fuiſſe in Facto, quod Eccleſia non definivit, ſed aliter quàm definiendo judicavit. Sicut cùm objicitur, erraſſe aliquem Papam, aut Concilium in quæſtione Juris, ſolvitur difficultas dicendo, erraſſe non definiendo, ſed privatim opinando, aut judicando æconomicè, ſive in puncto meræ diſciplinæ: aut negando erraſſe.

§. X.

Reſolvitur quæſtio propoſita, factaque §. 1.

PRæmiſſis, quæ dicta ſunt paragraphis ſuperioribus, Reſolutio quæſtionis hæc eſt: Eccleſia eſt infallibilis in Factis etiam perſonalibus, quando aliquod definit ſive Concilium Canone, aut Decreto, quod Papa approbet, & confirmet, ſive Papa loquens ex Cathedra: Tum etiam Factum, etſi perſonale, quod ſic definiat Eccleſia, eſt Fide Divina credendum: Eſt tamen fallibilis tum Papa, tum Concilium in Factis, quæ non definiat, ſed aliter judicet, ut *cùm de poſſeſſionibus, aut criminibus agitur*, quod ait Divus Thomas Quodl. 9. art. 16. Triplici aſſertio parte continetur.

Eſt, inquit prima, *Eccleſia infallibilis in Factis, etſi perſonalibus, ſemper ac aliquod definit*. Probatur 1. ex ſenſu ipſo Eccleſiæ ſibi perſuaſum habentis, ſe eſſe infallibilem in definiendis Factis, tum quæ dogmatica, tum quæ perſonalia dicuntur. Nam ab Apoſtolis uſque

adhuc definivit Facta etiam personalia, Fideles obligans ad illa credenda: ab Apostolis inquam: nam Act. 2. Divus Petrus dixit v. 15. ebrios non esse Apostolos, sed prophetantes Spiritu Dei, ut revelatum fuerat per Joelem Prophetam; ac v. 24. docuit Factum Resurrectionis Christi revelatum per Davidem Psal. 15. v. autem 41. Fideles receperunt Sermonem Petri: Qui etiam Act. 5. Ananiæ dixit, mentitum esse Deo, idque verè dictum confirmavit Deus subitanea morte Ananiæ, *& factus est timor magnus super omnes, qui audierunt*: Actorum autem 8. dixit Simoni Mago, cor ejus non esse rectum coram Deo, timuitque Simon, & pœnam sibi a Deo infligendam deprecatus est. Quatuor hæc exempla sunt Facti ab Ecclesiæ Capite definiti, Ecclesia illam definitionem ut infallibilem reverente.

Post Apostolos autem ab usque Concilio Ephesino Sæculo 5. (si non a Sæculo 2. in Gnosticis, aliisque hæreticis) Ecclesia in Conciliis, aut per Papas definivit Facta tum dogmatica, tum personalia, Fideles ad Fidem obligando, Fidelibusque Fidem habentibus; definivit enim, quædam scripta, etiam longissima, esse sanæ doctrinæ, quædam hæreticæ, quod Factum est dogmaticum; esseque Catholicos Fide, ac mente, aut hæreticos eorum scriptorum Auctores, quod Factum dicitur personale. Nempe Concilium Ephesinum declaravit sanam Epistolam, & personam S. Cyrilli; hæreticas verò

verò Epiſtolam, ac perſonam Neſtorii: Fideles autem Conciliares illas definitiones tanquam Fide Divina credendas, adeòque infallibiles ſemper habuerunt. Sic alia in aliis Conciliis. Papæ autem tum Declarationes Conciliorum aſſenſu ſuo confirmarunt; tum ſine Concilio generali hæretica, aliove modo erronea ſcripta eſse definiverunt, erroneaque eſſe in ſenſu ab Auctoribus intento, ſive erroneum eſse ſenſum, quem Auctores in ſcriptis habuerunt internè, hoc enim eſt *eſſe ſenſum intentum*: id autem definientes adſtrinxerunt Fideles ad id credendum; Fideleſque ſemper crediderunt, dicentes, quod in Cauſa Pelagii Sanctus Auguſtinus, *Locuta eſt Roma, cauſa finita eſt*: quod ſi qui credere renuerunt, habiti ſunt juxta Chriſti præceptum *tanquam ethnici, & publicani*. Ita ultimis temporibus damnarunt S. Pius V. & Gregorius XIII. Propoſitiones Bajanas, Innocentius X. Alexander VII. Clemens XI. Janſenianas, & Clemens XI. Queſnellianas. Ac Bajus quidem confeſsus eſt, intendiſse ſe in Propoſitionibus ſenſum damnatum, ut conſtat ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. (Gautier in Prodromo diſ. 2. cap.4. artic. 2.) Cùm autem Janſenio jam vita functo, quando damnatæ fuerunt ejus quinque Propoſitiones, quidam detrectarent agnoſcere rectè damnatas, atque erroneas *in ſenſu a Janſenio intento*, Alexander VII. & Clemens XI. adſtrinxeruut Clericos Galliæ ad Beneficia promovendos, ut jurarent, ſe il-

 las

las damnare, erroneasve agnoscere in sensu à Jansenio intento, ut legi potest in Bulla Clem. XI. *Vineam Domini Sabbaoth*.

Ergo à Papis, à Conciliis, à Fidelibus semper agnita est Ecclesia infallibilis in definiendis Factis etiam personalibus, sive in Factis etiam personalibus, si quod definit.

Quanquam enim dixerint quidam, damnationem quinque propositionum *in sensu a Jansenio intento* (Gautier ibid.) haud fuisse definitionem Facti personalis, propterea quod Innocent. XII. per Breve anno 1694. editum declaravit damnatas *in sensu obvio, quem verba ipsa præseferunt*, præscindendo, an sensus ille obvius fuerit a Jansenio intentus; tamen hoc subterfugium occlusit idem Innocentius Brevi in Belgium misso anno 1696. Novum porro effugium inventum est famoso *Casu Conscientiæ*, quo dicebatur, injustè negari Absolutio Sacramentalis Ecclesiastico cuidam nolenti damnare quinque Propositiones in sensu a Jansenio intento, eò quòd *Factum* id esset, parato tamen damnare absolutè, quoad quæstionem Juris, seu Doctrinam in illis expressam: hanc autem assertionem damnavit Clemens XI. tribus Brevibus, ac deinde Bullam edidit *Vineam Domini*, qua innovavit Constitutiones Innocentii X., & Alexandri VII. In qua Bulla dixit quidem §. 21. damnatum esse *sensum obvium* Propositionum; sed non exclusit *sensum à Jansenio intentum*;

nam

nam & innovavit Bullas Alexandri VII., & eodem §. 21. dixit damnatum esse sensum obvium, *quem in Jansenii libro habent propositiones*. Itaque tria definivit Ecclesia in Causa Jansenii, primum, Propositiones quinque hæreticas esse; idque Juris est; alterum, Propositiones illas contentas esse in libro Jansenii *Augustinus*; id quod est Factum; ac tertium, eas Propositiones hæreticas esse in sensu earum à Jansenio intento, id quod Factum est personale. Nec mirum, novumve id fuit: nam similiter tria definivit Synodus Ephesina in Causa Nestorii, aliaque in Causis aliis Concilia, aliique Pontifices.

Probatur jam 2. assertio: Ecclesia est infallibilis (idque est de Fide) semper ac definit Jus, idque professi sunt etiam Jansenii Defensores: ergo Ecclesia est infallibilis, semper ac definit Factum etiam personale. Seu sic: Ecclesia est infallibilis, cùm definit, hæreticam esse aliquam Propositionem in sensu ejus obvio juxta receptum morem loquendi; ergo & est infallibilis Ecclesia, cùm definit, intendisse animo Auctorem propositionis sensum illum verborum obvium, & hæreticum. Probatur consequentia; quia utrobique definit Ecclesia, utrobique docet, instruitque Fideles, utrobique eos ad credendum obligat, quod definit: utrobique refractariis pœnas infligit hæreticis Jure inflictas: atque utrobique per Ecclesiæ definitionem loquitur Fidelibus Deus, eos insti-

tuens in Fide, quam sibi debent habere, atque in Religione, qua vult ab ipsis coli: nam utrobique proponit Fidelibus Ecclesia, quod Deus revelavit in Scriptura, aut in Traditione. Nec dicas, Facta, præsertim personalia, sensumve internum hominis, qui librum scripsit, aut in vocem erupit, non esse a Deo revelata. Nam esse revelata vidimus §. 7., ac signatè revelatos esse sensus internos hæreticorum in suis scriptis, aut verbis, revelatos, inquam, confusè, formaliter autem, & immediatè, in Verbis Christi Matth. 7. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*: quemadmodum in Scriptura Divina revelata sunt confusè universali revelatione quædam Jura, quæ Ecclesia infallibiliter definivit; e g. Necessitas Gratiæ Christi ad initium Fidei verbis *Sine me nihil potestis facere*; ac potestas remittendi lapsum in Idololatriam (quam Sæculo 2. definivit Ecclesia contra Montanum) in verbis Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.

Quodsi definiret Ecclesia Factum aliquod, cujus revelationem expressam vix, aut ne vix quidem invenirent Theologi in Scriptura, haud ideò dicenda esset fallibilis Ecclesiæ illa definitio, utpotè rei a Deo non revelatæ; sed sentiendum tutò esset, revelatum à Deo esse Factum illud in Scriptura, aut Traditione, ignorari tamen a Theologis locum, ubi sit revelatum; sentiendum, inquam, tutò sic esset

ex

ex hoc fundamento, *definivit Ecclesia*: *ergo revelatum est*. Id quod mirum necui videatur, sic ostendo. Cùm definit Ecclesia quæstionem Juris, procul dubio definit, quod erat ipsi revelatum; per Ecclesiam enim Deus novas non facit revelationes, juxta concordem Theologorum sententiam, sed tantùm explicat antiquas Scripturarum, aut Traditionis. Quid igitur, si quid Juris definivit Ecclesia, cujus revelatio non reperiatur a Theologis? Haud ideò dicitur fallibilis definitio; sed dicitur incunctanter, sentiturque certissimè, revelatum esse, quod definivit Ecclesia, quantumvis revelationis locus ignoretur vel à Sapientibus. Exempli gratia, revelavit quidem per Apostolos Deus, omnes Scripturæ libros in Canone Synodi Tridentinæ contentos esse Divinos. Verùm successu temporis irrepsit inter Fideles aliquos ignorantia, aut dubitatio circa aliquot libros; sed tamen Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, Apostolicam Traditionem servavit, eosdem illos libros referente Innocentio I. Epist. ad Exup. & Gelasio in Concil. Rom. ac tandem Canonicos esse definivit Synodus Tridentina, ex cujus definitione certò constitit certitudine Fidei, revelatam a Deo fuisse Librorum eorum Canonicitatem. Ergo etiam siquod Factum Ecclesia definiret, cujus revelatio ignoraretur, ex ipsa definitione constaret, revelatum esse. Id rursus ostendo sic: esse Canonicos, ac Divinos Libros,

quos tales esse definivit Synodus Tridentina, saltem revelatum est hac universali revelatione *Quidquid definit, & credendum proponit Ecclesia, verum est*; hoc enim continetur verbis illis 1. ad Timoth. *Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*: ac Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: itaque hòc ipsò quòd definit Synodus, constat, esse revelatum. Ergo eadem revelatione revelatum est Factum quodvis, quod definiat, credendumque proponat Ecclesia, exque ipsa definitione constat esse, quanvis aliàs ignoraretur, revelatum.

Tertiò jam probatur assertio: Ecclesia habet à Christo potestatem definiendi, proponendique Fidelibus credenda Facta etiam personalia, sicut habet potestatem definiendi, proponendique Jura, seu Mysteria credenda: est ergo infallibilis in Facto, quod definiat. Probatur antecedens: ideò Ecclesia habet potestatem definiendi Jura, contentam illis Christi verbis Matth. 28. *Docete*, quia interest Fidelium nosse infallibiliter, quæ velit Deus sibi credi, quaque velit coli Religione; sic enim poterunt securi, atque alacres vitam æternam, Christum, Christoque credentes, procurare, & sperare, habentes in Fide initium salutis, & fundamentum Deo placentis pietatis. Atquì interest similiter Fidelium nosse infallibiliter Facta quædam personalia, e. g. hæreticum sensum internum Auctoris, qui hæreticum librum ediderit, hære-

hæreticis ve vocibus dogmatizarit : ergo. Constat minor : nam certò intereſt Fidelium ad ſalutem, utque Deo placeant, *attendere à falſis Prophetis, qui veniunt ad eos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces*, cùm id præceperit Chriſtus D. Matth. 7. At verò ut attendant, neceſse eſt, norint certò, & infallibiliter quinam ſunt illi Prophetæ, illique lupi *intrinſecùs*, h. e. interno ſenſu, menteque, rapaces; niſi enim ita norint, hærebunt neſcientes quid agant, à quove tamquam à lupo attendant, & ſibi caveant; *veſtimentis* enim ovium tecti latebunt lupi; præſertim cùm aliàs præceptum ſit *Nolite judicare*, & Regula Jnris ſit *delicta non præſumi, niſi probentur*. Ad ullum igitur quempiam certè ſpectat Fideles docere quinam ſint intrinſeci lupi: is enim verò Papa eſt, cui dictum à Chriſto eſt *Paſce oves meas*, eſtque Corpus Paſtorum, ſeu Epiſcoporum Capiti, ſeu Papæ adhærentium, ut adhærent in Concilio, quod Papa confirmet; aut cùm Papæ definienti aſsentiuntur.

Atque inde probatur aſsertio quartò: quia niſi Eccleſia doceat Fideles quinam ſint lupi interni, tectique veſtimentis ovium, fruſtraneum erit præceptum illud Chriſti D. *Attendite*: dicere enim Chriſto poſsent Fideles, *Ecquinam, Domine, illi ſunt lupi?* Habente autem Eccleſia à Chriſto poteſtatem docendi internam mentem, ac ſenſum hominis libro, aut voce dogmatizantis, reſpondet Chriſtus dicens, *illi ſunt lupi*,

lupi, à quibus attendatis, quos esse docet Ecclesia, quam audire facile est, si Papa, aut in Concilio Pastorum, aut extra illud definiat, vobisque proponat.

Probatur adhuc quintò: interest maximè Fidei Christianæ, quæ sola vera est, quod Ecclesia non fallat, si definiat Factum etiam personale, sensumve hominis dogmatizantis internum: nam à Facto personali ad dogmaticum, ab hocque ad Jus, seu Fidei Mysteria sumetur non inefficax argumentum, juxta modò dicta præsertim in 2. assertionis probatione. Interest igitur maximè Ecclesiæ infallibilitas in definiendis Factis etiam personalibus, ut securi sint Fideles de infallibilitate in definiendis Juribus, seu Mysteriis.

Probatur 6. Ecclesia est infallibilis definiendo, hæreticos esse textus, seu breves sint, sive prolixi, definiendove, hæreticas esse Propositiones, aut hæreticos esse libros, quia Deus revelans in Scriptura explicitè aliquod Mysterium, e. g. *Verbum esse incarnatum*, revelavit ibidem implicitè, aut reflexè, hæresin esse, sive erroneum, quidquid, seu propositio sit, sive liber, Mysterii revelationi opponitur, constituitque Ecclesiam interpretem verbi sui, qui Fideles doceat etiam illa quæ implicitè revelavit; sed revelavit Deus, esse in Ecclesia homines hæreticos, erroneosve non tantùm verbis, sed mente, & interno sensu, Matth. 7. Ergo constituit Ecclesiam, ut id doceat Fideles tanquam

quam interpres verbi sui confusè quidpiam universalique revelatione revelantis.

Jam altera pars assertionis hæc est, *credendum esse Fide Divina Factum, etiam personale, quod Ecclesia definiat, dicatve ex Cathedra S. Pontifex*. Probatur autem hac brevi, sed efficaci probatione: Fide Divina credendum est, quod revelatum est à Deo, & ab Ecclesia propositum: nam Deo debetur Fides, cùm quid dicit, & per Ecclesiæ propositionem scitur dixisse. At cùm definivit Ecclesia aliquod Factum, illud est à Deo revelatum, & ab Ecclesia propositum: proponit enim Ecclesia definiendo, ac definitione ipsa innotescit Fidelibus, esse revelatum, quod definit, ut jam vidimus: ergo.

Relinquitur itaque, ut quando Summus Pontifex Bullam edit, qua definit aliquod Factum, e.g. declarat, hæreticam esse aliquam propositionem, aut etiam librum, atque in sensu intento ab Auctore, nihil Fideles hæreant, sed id credant continuò, quia Deus dixit, & Ecclesia proposuit.

Tertia pars fallibilem ponebat Ecclesiam in Factis, quæ non definiat, sed aliter judicet, ut *cùm de possessionibus, aut criminibus agitur*. Id verò probatur facilè: nam vel in quæstionibus Juris non est infallibilis Papa, neque est infallibile Concilium, cùm judicat, non definiendo, sed humano more. Ideò vel Decreta Conciliaria sunt fallibilia, si eduntur, Papa non ea confirmante: habenturque ut de Fide verba il-

la

la Bullarum, ac Decretorum Conciliarium; quæ sunt ipsa *definitio*, non autem alia; nisi aliud declaret Papa, vel Concilium. Ergo similiter in quæstionibus Facti. Et ratio est, quia non tunc loquitur per Ecclesiam Deus, docens Fidem.

§ XI.

Solvuntur argumenta contraria.

PLura sunt jam soluta argumenta §§. 5. 7. & 8. Oppones tamen 1. adhuc idem inculcans: multi quidem Catholici, sapientesque Theologi negant, Ecclesiam esse infallibilem in Factis personalibus: ergo, non est dicenda infallibilis. Resp. infallibilem in Factis, quæ definit, nego: quæ non definit, concedo. Quos vidi, Theologi haud dicunt fallibilem Ecclesiam in definitione Factorum personalium, sed simpliciter in personalibus Factis. At iidem 1. agnoscunt infallibilem Synodum Ephesinam, dum personalem Nestorii hæresin definivit, anathema dicens personæ Nestorii. Ac 2. agnoscunt infallibilem Ecclesiam in Factis, de quibus certior effecta humano testimonio, definit hæreticum librum, ut vidimus suprà. Ac 3. Theologorum facilè Princeps D. Thomas Quodlib. 9. infallibilem agnovit Ecclesiam in Factis *mediis*, qualia sunt in Canonizatione Sanctorum. Ac demùm 4. maxima pars Theologorum agnoscit Ecclesiam infallibilem in Sancto-

rum

rum Canonizazione, in qua intervenit Factum mortis obitæ in gratia Dei, ac ſæpe alia Virtutum Theologalium, quas exercuiſſe internè dicitur Sanctus, qui canonizatur. Quarè nego conſequentiam argumenti: quia, qui objiciuntur nobis Catholici Theologi, iidem nobis favent apertè, & cum illis ſentimus, vel quando eis repugnamus. Quodſi licuit tantæ Theologorum parti cenſere, ac dicere de Fide Canonizationem Sanctorum, quanvis Sapientes quidam, ijque graviſſimi negent, licet profectò nobis, qui Duces habemus Doctores Angelicum, & Eximium, cenſere, atque affirmare de Fide Factum ab Eccleſia ſub revelatione univerſali definitum. Quod quidem ideò quia negant aliqui Catholici, non eſt adhuc de Fide imputatione, ſeu non damnabitur hæreſis, qui illud neget; eſt tamen de Fide in ſe. Nam & doctrina Antimillenaria erat in ſe de Fide, ſive a Deo revelata, non tamen imputatione, antequàm ab Eccleſia eſſet definita.

Oppones 2. coarctantur nimis conſcientiæ Fidelium, laqueuſque obtenditur multis dicendo Eccleſiam infallibilem in Factis, ac de Fide Factum, quod illa definiat: ſæpe enim aut amicum amicus, aut fratrem frater, aut Matrem filius alià vià excuſarè ab hæreſi, aut errore non poterit, niſi dicendo fallibilem in Factis Eccleſiam. Nego aſſump. & ejus probationem. Nam excuſari ab hæreſi, atque ab errore poterit ſæpè Auctor aliquis, dicendo, utique verè, haud
eſſe

esse definitum ab Ecclesia, quod ille erraverit: attendenda sunt semper verba Bullæ; attendendum num *definitione*, an judicio humano *quasi de possessione*, *aut crimine*, damnatus sit Auctor. Quodsi sumus in casu, quo Ecclesia definiverit hæresin libri, quem in pretio habemus, aut personæ, quam amamus, nihil, parumve ad excusationem juvabit, quod de Fide non sit hæresis illa libri, aut personæ; erit enim adeò certa, ut temeritas sit de ea dubitare. Nam vel illi Theologi, qui de Fide negant esse Canonizationem Sanctorum, adeò certam agnoscunt, ut dicant, temeritatem esse dubitare de Gloria Canonizati. Porro qui temerarium se agnoscat esse in dissensu aliquo, stratum jam habet iter, ut assentiatur etiam assensu Fidei: quo enim certiùs aliunde constat de re aliqua, eò quidem faciliùs creditur affirmanti. Quodsi nihilominùs in uno aliquo aut reputata in libro bonitas, aut amicitia, aut fraternus, aut filialis amor stimulet adhuc, atque urgeat adversus Ecclesiæ definitionem, labor tunc utique fuerit in credendo; at non labor ex præcepto, sed ex passione amoris impellentis. Et sanè casus tunc erit *captivandi intellectum in obsequium Christi*. Ipse enim dixit Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*: Ac dixit etiam Joan. 8. *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris*: Ac dixit

præ-

præterea Luc. 8. *Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt*. Pro credendo ergo Christo, pro audienda ejus Ecclesia, comprimendus est amor in amicum, filium, fratrem, & Matrem. Præsertim cum ita comparati simus, aut satiùs ita Deus providerit in Ecclesia, ut nihil venerabilitati Episcoporum derogaverint Nestorius, & Sergius, neque Religionibus Lutherus, Bucerus, & de Dominis. Quod verò attinet ad inventam in libro, aut in Auctore bonitatem, quid? Egone me constituam Ecclesiæ judicem, atque Ecclesiam erroris condemnem, ut librum, aut personam excusem? Putemne me, quantùm esse potuit S. Augustinus, in dignoscendis hæresibus perspicacem? Stultissimus sanè sim, si ita reputem. At Augustinus aliquando, vel cùm Pelagianam hæresin dignovisset, non dignovit Semipelagianam. Ergo Ecclesiæ dabo hæresin dignovisse, quam dignoscere ego non potui. Credamque, Ecclesia definiente, hæreticum librum, aut personam, quantumvis Catholicus mihi liber, aut persona esse videatur.

Oppones tamen 3. siquem librum, aut personam damnet Summus Pontifex ex odio, aliove affectu vehementi, atque adeò perturbante, in librum, aut personam, anne tunc etiam est infallibilis? Resp. non esse infallibilem, si damnet non definiendo, sed humanitus judicando: si autem definiat, esse infallibilem

lem, quia providebit Spiritus Sanctus, ne ex odio, aut alio affectu, quantumvis vehementi, falsum quid dicat in definitione. Odio enim erat vehementissimo in Christum concitatus, ambitioneque obcæcatus Pontifex Caiphas, cùm dixit in Concilio Joan. 11. *vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente*. Quare neque impugnatur bene Ecclesiæ in definitionibus infallibilitas, attribuendo Litteris Pontificiis subreptionem, neque Romanam Curiam, aut ignorantiæ, aut scelerum aliorum arguendo. Nam locum non habet in definitione Papali subreptio, cùm Spiritus Sancti intersit, atque adeò provideat, ne subintret: nec partem habent Romanæ Curiæ ignorantia, ac scelera, quantumvis velis immania. Quemadmodùm ignorantia Consiliariorum Caiphæ, hujusque atrocia vitia nihil obstiterunt, quominùs, cùm esset Pontifex anni illius, prophetaret.

Oppones 4. ideò fuit Ecclesia infallibilis in damnandis hæresis quinque Jansenii propositionibus, quia jam conveniebat inter diffidentes de illarum sensu; sed non conveniebat, ac ne convenit quidem de sensu intento à Jansenio: ergo. Nego falsam planè majorem: nec enim Ecclesia in controversiis decidit definiendo, quia convenit inter diffidentes, sed ut conveniat:

veniat:hoc est enim esse *Judicem controversiarum Fidei*. Non nunquam ut judicet expectat ut conveniant dissidentes; sed cùm lis est criminalis, ac more humano juxta allegata, probataque judicatur. Ut autem verè definiat, revelatio efficit, & assistentia Spiritus Sancti, qui non ab hominibus testantibus docetur Facta, sed ipse ea homines docet.

Noto demum, in definitione Facti, e.g. hæretici sensus personæ, adesse Facta quædam, quæ videntur non esse revelata, ut quod Auctor sit homo, quod scripserit, quod liber ejus sit lectus, & intellectus sermo: non ideò tamen fallibilis est Ecclesia in definitione Facti, quod definit, neque hæretici sensus: nam alia illa Facta, etsi revelata non sint, adeòque nec definita, sunt tamen vera, providente Spiritù Sancto, nèquod verum non sit, quod verum esse necessarium sit ad definitionem. Nam de Fide est, Synodum Tridentinam fuisse legitimam, ipsa se legitimam definiente; ad hoc autem erat opus, quod collecti Patres homines essent, & loquentes, & sermonem vicissim percallentes. Quarè vel omnia Synodus definivit, adeòque erant revelata implicitè in generali Conciliorum legitimorum revelatione; vel non definivit, Spiritus tamen Sanctus providit, ne deficerent, cùm necessaria essent ad Synodi legitimitatem, veramque ejus definitionem.

Jam ingitur Quæstionem absolvimus. Juvat tamen concludere verbis Cani lib. 1. Cap. 7. *Si errores Ecclesia quæ nunc est condemnare nequit, profectò, judicibus de medio sublatis, hujus sæculi hæretici impune vivere, atque adeò regnare possunt.*

§. XII.

COROLLARIUM I.

Ecclesia est infallibilis in Canonizatione Sanctorum.

Asserta Ecclesiæ infallibilitate in definiendis Factis revelatis universali revelatione, fit facile, esse de Fide Sanctorum Canonizationem; seu Fide Divina credendum, esse salvum in Cœlis Hominem, quem canonizat, sive in Sanctorum albo scribit Ecclesia. Nam revelatum id est revelatione universali *Qui perseveraverit usqae in finem, hic salvus erit*: ac per Canonizationem definit Ecclesia contentum ea in revelatione Hominem, quem canonizat. Est igitur a Deo revelata, & ab Ecclesia Fidelibus proposita Gloria Cœlestis Sancti Canonizati. Nihil ergo illi deest, ut sit de Fide. Itaque de Fide esse senserunt Doctores Angelicus Quodl. 9. art. 16. & Eximius de Fide quos sequitur maxima pars Theologorum, quibusdam licet exceptis.

Notes autem, non à me dici de Fide judi-

dicia Canonizationi prævia de Scriptorum , seu librorum Hominis integra bonitate , de fama Sanctitatis, de Virtutibus Theologicis in gradu heroico , de Miraculis ; sed ipsam Canonizationem , sive Scriptionem solemnem , quæ a Papa fit , in albo Sanctorum . Nam 1. hæc Scriptio est Ecclesiæ sententia definitiva ; illa autem judicia sunt velut sententiæ interlocutoriæ præmissæ ad definitivam . 2. in illis præviis judiciis Papa non judicat , scripta esse bona , habuisse Hominem Virtutes in gradu heroico ; sed tantum judicat , posita Scriptorum approbatione à Revisoribus facta , seu Revisoribus judicantibus , dicentibusve , bona esse Scripta , *posse procedi ad ulteriora* : ac *posse ad ulteriora procedi* , posita approbatione Virtutum à Consultoribus facta . Quod si Papa dicit , constare de Virtutibus , *constat* , inquit , *de illis* , *quantùm requiritur ad procedendum ad examen Miraculorum*. Ac verum profectò est , *posse procedi* , potest enim , quia positum jam est , quod ad procedendum præsciptum est , scilicet posita est approbatio Scriptorum a Revisoribus , ac positum est à Consultoribus judicium de veritate Virtutum ; itaque inquit Papa in Decreto Virtutum , *Constat de Virtutibus* , *quantum requiritur , ut procedatur ad examen Miraculorum* ; non autem ait , *Homo hic habuit virtutes* : *bona sunt hominis hujus Scripta* . At verò in Canonizatione dicit definitivè , *Hic homo est in numero Sancto.*

ctorum, *sive est in Gloria Cœlesti*. 3. in præviis Judiciis nondum Papa proponit Fidelibus venerandum, adorandumque DuliàHominem, quo de agitur: proponit autem in Canonizatione, præcipitque adorationem. Interest verò Christi, qui est *Sanctus*, *&* *Verus* Apoc. 3. ne Fidelibus suis ab Ecclesia sua, suoque Vicario proponatur, præcipiaturque adoratio Hominis non Sancti: ipsi enim Christo tribuere possent Fideles superstitionem, quam in adorando illo Homine perpetrarent; repugnant autem *Sancto*, & *Vero* Christo superstitionem præcipere, ac præcepto suo Fideles ad illam adigere.

„ Juvat hic verba D. Thomæ in Quodl. 9. ar„ tic. 16. exscribere. *Certum est*, inquit, *quod* „ *judicium* Ecclesiæ universalis errare in iis, „ quæ ad Fidem pertinent, impossibile sit... „ In aliis vero sententiis, quæ ad particularia „ facta pertinent, ut cùm agitur de possessioni„ bus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, „ possibile est, judicium Ecclesiæ errare pro„ pter falsos testes. Canonizatio verò Sancto„ rum medium est inter hæc duo. Quia ta„ men honor, quem Sanctis exhibemus, quæ„ dam professio Fidei est, qua Sanctorum glo„ riam credimus, piè credendum est, quod „ neque etiam in his judicium Ecclesiæ erra„ re *possit*„. Et in solutione ad 2. loquens de Canonizatione; *Divina*, inquit, *Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile te-*

testimonium hominum fallatur. Brevis profectò, at succi plena sententia! In quæstionibus, inquit, Juris, sive in definiendis Fidei Mysteriis Ecclesia est infallibilis: judicat enim ex revelatione; non est infallibilis, cùm Facta particularia judicat humano more juxta allegata, & probata, judicat enim ex fallibili hominum testimonio: est autem infallibilis in Canonizatione Sanctorum, quia judicium est *medium*, hoc est, de utroque participans, seu de Dogmate ad Fidem pertinente, & Facto; scilicet judicat Ecclesia, tùm ex revelatione, tùm ex hominum Testimonio; est verò nihilominus infallibile judicium Ecclesiæ, quia Providentia Divina eam præservat, ne à testimonio humano fallatur; efficit enim Deus, ut vera homines testentur, vel siquid testantur falsò, haud ex eo judicet Ecclesia. Inde concludit, credendum esse, sive esse de Fide, quod in Canonizatione judicat Ecclesia, Sancta scilicet hominis mors, & æterna Beatitudo. Nec verò quod ait *piè credendum est* libertatem, aut supererogationem in credendo significat: ratiò enim ut credatur est, quia *Honor, quem Sanctis exhibemus, est quædam Professio Fidei, qua Sanctorum Gloriam credimus*; itaque illud *piè* significat, non superstitiosum, neque impium, sed pium esse credere: est quippe pietas in Fide, quæ habetur Deo Ecclesia proponente. Id quod confirmatur ex doctrina ipsa ne-

gantium, esse rem Fidei Sanctorum Canonizationem; dicunt enim, adeò esse certam ex Canonizatione Gloriam æternam Canonizati, ut saltem temerarium sit de illa dubitare. At quando temèritas est negare, non supererogatorium est, sed debitum non negare, imò neque dubitare: ergo illud *Piè* D. Thomæ non supererogationem indicat, sed pietatem, pietatem verò tantam, quanta est in Fidei professione.

Quarè ex ejus doctrina sic assertionis conficitur probatio: est quædam professio Fidei actus, quo Sancti Canonizati gloriam credimus, dum ei cultum exhibemus: ergo Gloriam credimus Fide Divina: ergo est res Fidei Canonizatio: ergo est in Canonizatione infallibilis Ecclesia. Est, inquam, infallibilis, quia judicat ex revelatione, universali licèt, formali tamen Gloriæ Canonizati: ac licèt judicet etiam ex hominum testimonio, vel referentium indicia Sanctæ mortis in homine Canonizando, vel sufficienter de illis constare judicantium, tamen Dei Providentia efficit, ne fallat hominum testimonium, aut ne ex illo fallatur Ecclesia: ita autem providet Deus, ne Christi Fideles præcepto suo inducantur ad cultum superstitiosum, adorandumve Hominem indignum adoratione: præcipit enim Deus adorare hominem, quem Canonizavit Ecclesia.

Op-

Oppones tamen 1. non eſt hæreſis negare Gloriam Sancti Canonizati; ait enim Benedictus XIV. tom. 1. de Canoniz., infrà hæreſin damnandum, qui negaverit: ergo non eſt de Fide Canonizatio. Diſtinguo antecedens: non eſt hæreſis in ſe, nego: eſt enim hæreſis quatenus negat quod eſt a Deo revelatum: non eſt hæreſis imputatione, concedo: quia nondum Eccleſia definivit expreſſe, hæreſin eſſe, nec damnavit Catholicos Doctores negantes hæreſin eſſe. Egit itaque adhuc cum negantibus Eccleſia benignè ut Mater, non ut Judex ſeverè: fortaſſe Deo ita providente, ut eò magis meritoria ſit Fides, quò minùs pœnis compulſa. Quodſi hæreſis non eſt, tamen infra hereſin eſt, Auctore Benedict. XIV., eſtque temeritas in aliorum ſententia. Non ergo ſumi auctoritas, exemplumve poteſt, ſiqui adhuc recuſarunt uni alicui Sancto cultum, quem decrevit Eccleſia, Mater Eccleſiarum, & Magiſtra, Romana. Jam verò diſtinguo conſequens argumenti: non eſt de Fide Canonizatio in aliquorum opinione, concedo; in potioris partis Theologorum, certàque ſententià, nego.

Oppones 2. Doctores negantes, eſſe de Fide Canonizationem. Reſp. Doctoribus hiſce opponi potiorem partem Theologorum, & opponi rationem præſtantiorem. Nihil enim evincit ratio negantium. Nam ea apud Vaſ-

quium 2.2. disputat. 195. cap. 9. sic habet : „ Ut Papa definiat, hunc, aut illum hominem Sanctè vixisse, non habet principium „ aliquod de Fide, nempe aut Scripturam, „ aut traditionem, sed solùm humanum testimonium : & ideò Pontifex non censetur „ de Fide definire, quanvis habeat assistentiam „ Spiritus Sancti, ne erret : ac proinde temerarium est negare id, quod ipse in Canonizatione *decernit*. „ At hæc ratiocinatio falsum assumit : habet enim Papa Canonizans revelationem in Scriptura universalem illam *Qui perseveraverit &c.* in qua contentus est ille, qui Canonizatur. Tum habet illam universalem : *Quidquid Ecclesia definit, verum est* : Vel : *Si præcipiat universis Fidelibus colere ut Sanctum hominem, ille est cultu dignus*. Tum, si non mortem modò, sed etiam vitam hominis Sanctam fuisse Canonizans Papa decernit, habet illas revelationes, quibus revelatæ sunt Virtutes, quæ Sanctam hominum vitam reddunt. Habet igitur Papa Canonizans *principium Fidei*. Sicut habuit universalem revelationem *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis* Ecclesia definiens contra Montanum remissibilitatem Idololatriæ : & universalem revelationem, *Sine me nihil potestis facere* Ecclesia definiens, ad initium Fidei opus esse Gratia per Christum ; & universalem habuit revelationem, e. g. *Ubi sunt duo, vel tres congre-*

ga-

gati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Synodus quæque legitima definiens, se esse legitimam. Itaque ratio Vasquii non convincit; imò nihil probat, quia multum probat. Ita ergo res se habet; cùm Canonizat Papa aliquem Sanctum, habet pro principio Fidei revelationem universalem, in qua Sanctus ille formaliter continetur, confusè licèt; & Papa ipse definiens cum assistentia Spiritus Sancti declarat contentum illa in revelatione Sanctum illum; declarat nempe sensum revelationis confusæ tanquam interpres à Deo constitutus verbi Divini, quem esse Interpretem constat certò, cùm certò constet, declarare eum posse revelationes obscuras etiam in quæstionibus Juris, seu Mysteriorum Fidei; cumque toties Interpretem egerit revelationum universalium Facti, quoties legitima esse Concilia declaravit.

Neque obstat quidpiam, quod Papa Canonizans ducitur testimonio humano; nam 1. ducitur præterea revelatione; ac 2. regitur assistentia Spiritus Sancti, ne ex humano erret testimonio; quod fatetur Vasquius: ac 3. providet Deus, ne humanum testimonium fallat; quod docuit D. Thomas. Quanquam igitur Testimonium hominum de se, ac se solo sit fallibile, tamen in Canonizatione fit infallibile ex adjuncta Spiritus Sancti assistentia, & providentia; ac falsum non fuisse, constat Fideli-

libus certò certitudine Fidei ex ipsa Canonizatione, quia est Ecclesiæ definitio Fideles omnes obstringens imposito Christi nomine præcepto ad adorandum, atque adeò ad credendum Sanctum. Id quod, ut Historicos Sacros taceam, homines de se fallaces, infallibiles tamen in Libris Divinis scribendis ex assistentia Spiritus Sancti, comprobo exemplo Conciliorum. Nempe ut Concilia definiant aliquod dogma, consultationem priùs adhibent Patrum, & Theologorum: hi porro, quandiu fit, pendetque consultatio, fallibiles sunt: itaque solita sunt Concilia nunc huc, nunc illuc inclinare; solita etiam emendare, ac mutare Decreti edendi textum, donec tandem in Decretum, seu definitionem erumpunt; quæ definitio est de Fide, Papa approbante, etsi fallibilem consultationem secuta sit, quia cùm Decretum ultimò fit, tunc SpiritusSanctus Concilium docet, ac regit, ne fallatur, nec fallat; ac definitione ipsa docet Fideles Concilium, Patres, ac Theologos, qui pro definitione censuerunt, quanvis de se fallibiles, tamen falsos non esse. Similiter in Sanctorum Canonizatione. Tum Concilia sunt fallibilia in Factis, quæ non definiant; non verò in iis, quæ definiunt, neque in iis, à quibus dependet dogmatis definitio, hòc ipsò quod nequeunt fallere in dogmate definiendo. Similiter in Canonizatione.

Oppones 3. de quibusdem Sanctis Fideles non

non sciunt nisi ex Historia, aut simili hominum testimonio: ergo saltem eorum Gloria non est de Fide. Nego antecedens; nam sciunt ex Historia, & ex Ecclesia præsenti, quæ Sanctos colit. En quid de Conciliis dixit Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Omnium* Conciliorum „ veterum, & omnium dogmatum firmitas „ pendet ab Auctoritate præsentis Ecclesiæ. „ Non enim habemus testimonium infallibile, „ quod Concilia illa fuerint, & hoc, aut illud definierint, nisi quia Ecclesia, quæ nunc „ est, & errare non potest, ita sentit, & docet. Quod enim Historici quidam meminerint eorum Conciliorum non potest parere „ fidem nisi humanam, cui potest *subesse falsum*. „ Ergo ex Ecclesia præsenti, quæ errare non potest, scimus Fideles de veteribus Sanctis: ex Historia scimus moraliter, ex Ecclesia infallibiliter, quantumque sufficit ad credendum professione vera Fidei Gloriam Sanctorum, quibus cultum exhibemus, quem exhibet Ecclesia.

Oppones 4. Beatificatio non est de Fide: ergo neque est de Fide Canonizatio. Concedo antecedens, negare non ausus, quia etiam post Beatificationem pergit Ecclesia Causam examinare, novamque in Canonizatione sententiam fert. Dicam tamen, Beatificationem solemni forma effectam propè ad Fidem accedere, seu Fidem sapere. Quod dico, quia etiam per Beati-

tificationem proponitur Fidelibus colendus, & adorandus Beatus. Ac nullum exemplum est in Ecclesia de Homine aliquo solemniter Beatificato, qui posteà declaratus sit ab Ecclesia non Sanctus. Est tamen disparitas ad Canonizationem, quod hæc ultimum est de Sancto judicium Ecclesiæ, hæcque universis Fidelibus præcepit Sancti cultum: cultum autem Beati permittere solet primùm uni alicui Ecclesiæ. Altissimi tamen gradus certitudo adest de Hominis æterna Gloria per Beatificationem solemnem, ita ut temeritas sit, imò quidpiam fortasse gravius de Hominis solemniter Beatificati Sanctitate, & Gloria dubitare, nedum illam negare.

COROLLARIUM II.

Ecclesia est infallibilis in approbandis Religiosis Ordinibus.

Assertio est, quæ dicta consequitur, approbationem solemnem Ordinis Religiosi, quam Papa faciat, esse infallibilem, & irretractabilem, credendumque Fidelibus, esse pium, bonumque Institutum Religiosum, quod pium esse, & bonum Papa edito Brevi declaravit. Probatur, sicut de Sanctorum Canonizatione: quia bonitas Instituti, quod sic approbavit Papa, revelata est in Scriptura re-

ve-

velatione universali, & per Papalem approbationem constat certò, esse revelatam. Est enim in Scripturis revelatio de bonitate Status Religiosi, de illisque Virtutibus, quas Institutum, quod ut pium approbat Papa, profitetur. Continetur itaque, tanquam particulare in universali, in revelationibus illis illud Institutum: Papa autem per Breve approbationis declarat eam continentiam tanquam Interpres Verbi Divini, aut Judex Controversiarum Fidei, Pastorque Summus, Christi gregi, eum ut regat, doceatque facienda, præpositus. Assertio itaque habet pro se Bened. XIV. to. 1. de Canoniz. & communem DD. sensum.

Ac profectò quidem eo saltem gradu esse certam Religiosi Instituti bonitatem per approbationem Pontificiam, ut temerarium sit bonitatem negare, facilè sumitur ex Assistentia Spiritus Santi, quæ adsit oportet in solemni Religionis approbatione, ne in pravam vivendi rationem inducat approbatione ipsa suaChristi Vicarius Fideles, qui profiteantur Institutum adlecti ipsa approbatione; cui pravæ vivendi rationi ansam præbere diceretur Christus ipsa Vicarii sui Auctoritate, quam audiendam posuit Fidelibus. Quod si ita certa est bonitas Instituti solemniter approbati, facile jam est ascendere ad eam credendam infallibilem, & irretractabilem, ob adductam assertionis probationem. Ac faciliùs adhuc ascendetur, si

at-

attendatur Catholica Ecclesiæ doctrina, quæ tenet, Papam ex Cathedra loquentem esse infallibilem in decidendis quæstionibus de moribus, sive in declarando quid bonum sit, quidque malum; ne scilicet Christus Ecclesiæ suæ non providerit, quantum oportet, si Papa consulto de emergenti in moribus dubio, eoque etiam ex Cathedra respondente, nondum Fidelibus certò, infallibiliterque constaret quid bonum, & sectandum, quid malum & fugiendum esset. Itaque Papa ex Cathedra damnans propositiones; est in communi Ecclesiæ sensu infallibilis; ac Fide credendum est, tales esse propositiones, quales esse decernit Papa, falsam, si falsam, scandalosam, si scandalosam, erroneam, si erroneam. Dixi autem *Papa ex Cathedra*, h.e. quando ut Caput Ecclesiæ Decretum edit pro Universali Ecclesia, quod ab omnibus Fidelibus indubitanter admitti vult, & observari. At ex Cathedra loquitur, cùm Religiosum Institutum solemniter approbat; proponit enim illud Fidelibus, ut regulam piè, rectèque vivendi, præcepto eos adstringens, ne contrà censeant.

Jam verò sunt quædam, quæ opponi possent ex aliis materiis, ut ex adducta de damnatione propositionum; sed hòc ipsò quòd aliò spectant, ibique videri possunt (Gautier in Prodromo dis.2. cap.3. art.4.) ea prætermitto, ne sim longissimus.

Op-

Oppones itaque solùm, quod proprium est. Ecclesia sæpe mutavit judicium, quod tulit in approbatione Religionum: ergo non est irretractabile, neque infallibile. Probatur antecedens 1. quia sæpe immutavit quædam quæ in Religionibus observabantur. 2. quia sæpe unus Papa Religionem extinxit, quam approbaverat Predecessor. Resp. Nego antecedens assumptum. Primam probationem distinguo: Sæpe immutavit reprobando, quod approbaverat, nego: Sine ea reprobatione, concedo. Papæ approbantes aliquam, cùm instituta est, Religionem, approbarunt, sive censuerunt, bonum esse earum essentiale Institutum, quod examinandum ipsis, & approbandum exhibuerunt Fundatores. Hoc autem Institutum nunquam Pontifex alius reprobavit, h. e. declaravit bonum non esse, loquens ex Cathedra. At post, sive ultra Institutum essentiale quædam in Religionibus introduci solent observantiæ ad meram disciplinam pertinentes, ac certè non componentes essentiale Institutum primò approbatum, hòc ipsò quòd post illud approbatum inventæ sunt, & inductæ. Et has quidem sæpe Summi Pontifices varias variis temporibus esse fecerunt; nimirum quia ut tempora variabantur (nam *tempora mutantur, & nos mutamur in illis*, quod inquit Poeta) variæ quoque erant circumstantiæ, pro quibus jam hoc, jam illud expediebat. Itaque nunquam

quam Pontificis unius judicium ex Cathedra judicio alterius opponebatur; sed aliud hic in his circumstantiis, aliud in aliis ille judicavit. Quemadmodùm etiam in disciplina universalis Ecclesiæ varia variis temporibus in iis, quæ liberi, sive Humani Juris erant, nonNaturalis, nec Divini immutabilium, Pontifices præscripserunt. E. g. aliquando Papæ, Regibus impetrantibus ob pietatem in Sanctos, jusserunt, ut Festum eorum, sicut Dominicæ, servaretur: deinde verò, Regibus exponentibus incommoda plebis pauperculæ, Pontifices alii præceptum illud sustulerunt. Cùm autem reformatæ sunt quædam Religiones, haud reprobatum est, quod approbatum erat, Institutum; sed vel revocata, quæ defervuerat, ejus observantia, vel additæ novæ quædam Institutiones.

Jam ad 2. probationem respondeo, in extinctionibus Religionum haud reprobatum esse earum Institutum, sed sublatam ejus observantiam. Nempe cùm Papa institui de novo Religionem aliquam decernit, duo facit; nam & Institutum *approbat*, & observantiam ejus *confirmat*; ut tradit D. Exim. to. 4. de Rel. tr. 10. li. 1.; *approbat* judicando, bonum esse Institutum; *confirmat* autem volendo, ut observetur, sintque adeò in Ecclesia homines, qui illud profiteantur. Ergo judicium de Bonitate Instituti irrefragabile est, pertinensque ad infallibilitatem Vi-

Vicario suo concessam à Christo Domino: Voluntas verò de observatione haud est immutabilis; quia potest observatio esse Ecclesiæ utilis hoc tempore, alio non item: pro illo itaque tempore, quo est, & à Papa judicatur utilis, illam confirmat, seu vult esse in Ecclesia Religionem: pro alio autem quo judicatur utile, ne sit Religio, extinguitur ab alio Papa. Quo autem tempore sit utilis Ecclesiæ Religio, quo sit utile illam extingui, nostrum non est judicare: nam *Scrutator Majestatis opprimetur à gloria*; oporteretque ingredi audacter in altissimam Brevium extinguentium considerationem, ne esset sententia sine causæ cognitione, nobisque diceretur *In quo alium judicas, teipsum condemnas.*

COROLLARIUM III.

Papam præsentem ab Ecclesia pacifice acceptum verum esse Papam veritas est de Fide.

SUnt quidam, qui negant apud Suarium *de Fide* disp. 10. Sect. 5. ubi notat, negantes variare: alii enim vocant hanc veritatem *de Fide mediate*, eò quòd infertur ex præmissa de Fide, & altera naturali; dicunt alii, sapere Fidem; alii simpliciter pronunciant, ad Fidem non pertinere. Altera Sententia docet, esse de Fide veritatem illam. Ita Suarius, quem sequuntur communiter Recentiores.

H Est

Est autem duplex dicendi modus, esse de Fide: alter enim est, ideò esse de Fide, quia est conclusio deducta ex una præmissa revelata in hoc Syllogismo: *Omnis Canonicè electus in Papam est verus Papa; sed Papa præsens pacificè acceptus ab Ecclesia ita est electus: ergo*. Alter autem modus est, quia veritas illa est veritas immediatè, formaliterque revelata in universali illa revelatione: *Omnis Canonicè electus in Papam est verus Papa*, estque præterea ab Ecclesia proposita per pacificam ipsam acceptationem.

Placet posterior hic modus. Probaturque assertio 1. quasi a posteriori: nam Concilium Constantiense, approbante Martino V., constituit, ut revertentes ad Ecclesiam interrogarentur, num crederent, Papam canonicè electum pro tempore existentem Petri esse Successorem: ergo id erat credendum; ergo de Fide. Ais verò, Statutum Concilii interrogasse, an crederent conditionatè, *si canonicè electus esset*. Contrà est primò: quia mens Concilii fuit obedientiam Ecclesiæ universæ Martino V. conciliare, eò ut Schisma omnino cessaret; at ei menti non satisfieret per confessionem conditionatam, *Credo Martinum esse Papam, si est canonicè electus*; restabat enim inconfessum, esse canonicè electum, proindeque aperta via Schismati, quo diceretur, non esse electum canonicè. Ea porro confessio bona esse potuit tempore quo ignorabatur, quisnam è tribus, qui

Papa dicebantur, esset canonicè electus, adeòque verus Papa: postquàm autem initum est Concilium, elegitque Martinum ad eam tollendam ignorationem, effugiumque omne Schismati occludendum, haud erat satis conditionata illa confessio, sed absoluta, quæque canonicè electum Martinum agnosceret, à Concilio exigebatur. Contrà 2. quia ineptum est, & illusorium conditionem àdiicere, quando est posita, & positam esse constat: ita lucente Sole, nemo qui videat, dicit *Nunc dies est, si Sol lucet*. At erat posita per Concilium Canonica electio Martini, ac per Concilium ipsum de illa constabat: ergo.

Atque inde quidem detegitur utilitas assertionis nostræ, probaturque ea 2. etiam à posteriori. Nam Papa præsens post pacificam Ecclesiæ acceptationem multis modis præcipit, injungitque Fidelibus, se ut credant verum EcclesiæCaput: sunt enim ejusmodi præceptaCreationes Cardinalium, & Episcoporum, Canonizationes, &Decreta de moribus,ac similia.Tum etiam posita nostra assertione haud relinquitur rima ad negandam internè obedientiam Papæ præsenti; quæ tamen rima esse potest, etsi imprudenter, in contraria assertione. Nam qui credat, præsentem Papam esse, tantùm si est canonicè electus, non dum credit canonicè electum, aut certè locum sibi relinquit, ne credat. In nostra verò assertione non item;

 nam

nam juxta illam Fidelis inquit, *Cùm constet certò, Pium VI.*, e. g. *esse canonicè electum, credo, eum esse Papam*. Dicere autem possunt assertionis contrariæ Patroni, ad præstandam incunctanter Papæ obedientiam sufficere omnino certitudinem, quæ certò adest, moralem, imò & Theologicam de Canonica electione, adeòque de vero præsentis Papæ Pontificatu; nec necessariam esse, quæ non adest, certitudinem Fidei.

Probatur itaque assertio nostra tertiò quasi à priori: id est de Fide, quod a Deo revelatum est, & constat Fidelibus esse revelatum, id, inquam, de Fide est tum in se, tum quoad nos; sed revelatum est a Deo, Papam præsentem Pium VI. esse Papam, constatque Fidelibus esse revelatum; ergo. Major hujus Syllogismi vera est, & certa. Minor complexa est ex duplici parte. Probatur verò prior sic: adest hæc Dei revelatio universalis *Omnis canonicè electus est verus Papa*; atqui ea revelatio locuta est de Pio VI., Pontifice præsente: ergo. Major est Catholicis nota, Minor autem probata est latè §. 1. Probatur igitur pars altera primæ minoris: constat Fidelibus certò moraliter, pacificè esse ab universa Ecclesia acceptum in Papam Pium; sed pacifica Ecclesiæ acceptatio vel est ipsa Canonica electio ultraCardinalitiam, vel eam supponit, aut validat, siquid in Cardinalitia defuit: ergo. Nihil itaque deest omnino,

no, neque revelatio, nec revelationis propositio, ac certa notitia, ut sit de Fide Papatus Pii Pontificis præsentis.

Confirmatur: in revelatione universali *Pro omnibus mortuus est Christus* revelatum est, mortuum esse pro me, & homine quolibet aliquando existente: ergo in universali revelatione *Omnis canonicè electus est verus Papa* revelatum est, quemblibet canonicè electum, atque adeò canonicè electum Pium, esse verum Papam. Quia & ego in illa, *Pro omnibus*, & Pius in hac, *Omnis* formaliter continemur. Nunc sic: sicut revelatum est, me redemptum esse, si homo sim aliquando existens, ita est revelatum, Pium esse verum Papam, si sit canonicè electus; sed posita conditione, quod sim homo aliquando existens, de Fide est, esse me redemptum, ac si mihi constet certò moraliter, me hominem esse existentem, credendum mihi est Fide Divina, redemptum me esse: ergo posita Canonica Pii electione, de Fide est, eum esse Papam: & dum constat Fidelibus certò moraliter, Pium esse canonicè electum, credendum ipsis est Fide Divina, Pium esse Papam. Certè non velis ampliùs de Fide Papatus Piani, quam de Fide meæ redemptionis. Nam siquis me audiret dicentem *Non sum redemptus*, hæresis me damnaret, & delatus ad Judices in causis Fidei pro hæretico haberer.

Quodsi adhuc dicas, de Fide quidem esse

Papatum Pii, sed conditionata, conditionatèque, non absolutè credendum esse, quia non constat, quantùm ad absolutam Fidem est opus, canonicè electum esse. Contra est: nam esse canonicè electum Pium constat quantum sufficit, plusque etiam fortasse, quàm requiritur, ut absolutè credatur Fide Divina, Pium Papam esse. Quod sic ostendo: constat, quantum sufficit ad credendum absoluto assensu, esse redemptum Aristotelem: ergo constat, Pium VI. esse Canonicè electum, quantum sufficit, & plùs quam requiritur ad absolute credendum, eum Papam esse. Probo consequentiam: nam de humanitate Aristotelis constat per Historiam; de Canonica Pii electione constat per pacificam Ecclesiæ acceptationem publicam, & notoriam, etiam per experientiam. Perpende, amabò, ad libellam criticæ sanæ Historiam Aristotelicam, & Ecclesiæ acceptationem; majorem profectò graviorisque momenti invenies acceptationem, quàm historiam. Idem argumentum fieri potest in aliis multis, quæ Catholicus nemo negat esse de Fide, e. g. in existentia Synodi generalis Ephesinæ, & in damnatione Nestorii, quam illa fecit.

Negabis tamen fortasse paritatem, quia ut Aristoteles sit redemptus, tantùm requiritur, quod homo fuerit aliquando existens, idque constat ab Historia: ut verò sit Papa Pius requiruntur plura, de quibus non constat ab Ec-

Ec-

Ecclesiæ acceptatione, nimirum quod homo sit, quod mas, quod baptizatus, quod electus sine simonia. Sed contra est 1. nam etiam ad Aristotelis redemptionem requiritur, quod homo fuerit *Verus*; verum autem fuisse si constat ab Historia notificante, fuisse hominem, ut vulgò sumus, constat etiam ab Ecclesiæ acceptatione, esse Pium hominem, & marem, & baptizatum, cùm hæc sint necessaria, ut pacificè ab Ecclesia fuerit acceptus. Electum autem esse sine simonia impediente Papatum constat ex ipsa acceptatione, hæc enim purgat, aut supplet, siquid simoniæ fuit in electione Cardinalitia, ut Theologi tradunt. (Videri potest Redlamer.) Contrà 2. ex doctrina ipsa Adversariorum ut eam legi traditam à nobili Auctore. Ait enim doctrina, hanc veritatem. *Pius est canonicè electus Pontifex* esse moraliter certam ex idoneis documentis. At canonica electio continet, electum esse hominem, marem, baptizatum, & siquid aliud necesse est ut sit canonicè electus: ergo illa omnia constant saltem certò moraliter: certò autem certitudine maxima morali; constant enim ex Ecclesiæ acceptatione: hæc autem est communis Ecclesiæ sensus, atque Testificatio de canonica electione. Ex quibus conficitur sic argumentatio: Sensus communis Ecclesiæ de re aliqua reddit rem notam certò moraliter certitudine maxima; sed acceptatio pacifica

in Papam est communis Ecclesiæ sensus de Canonica ejusdem electione, iisque omnibus, quæ sunt ad eam necessaria: ergo. Contra 3. Synodum Ephesinam e. g. fuisse legitimam continet, ejus Patres fuisse homines, mares, baptizatos, Sacerdotes, Episcopos; sed nihilominus veritas est de Fide, legitimam fuisse: ergo est etiam de Fide, Pium Papam esse, & canonicè electum esse. Tam enim præsens Ecclesia testificatur, esse Pium Papam, eum agnoscens canonicè electum, quàm Synodum, esse legitimam.

En ergo totam assertionis nostræ æconomiam. Revelatum est à Deo, Pium esse Papam si posita sit electio ejus canonica: ergo et de Fide est, & credendum saltem conditionatè ergo de Fide est absolutè, posita conditione, & ejus notitia moraliter certo: ergu ita est de Fide, & credendus Papatus Pii, positâ moraliter certà notitia de Canonica ejus electione. Atqui per Ecclesiæ pacificam acceptationem posita est, & habetur moraliter certa notitia de Canonica Pii electione; acceptatio enim illa est moraliter certò nota per publicam notorietatem, & experientià, eaque aut supponit, aut ponit, quæ canonicam electionem absolvunt: ergo de Fide est, & absolutè credendum, Pium esse Papam, Petri Successorem, & Vicarium Christi, Ecclesiæque Rectorem, ac Pastorem Summum Fidelium. Nimirum enim moraliler cer-

certò nosci, rem aliquam esse revelatam, sufficit in omnium sententia, ut res sit de Fide, & credenda, etsi notum sit ex humanis documentis.

Confirmatur demum assertio hoc ratiocinio: tam est revelata universaliter Auctoritas Synodorum legitimè congregatarum, quàm Dignitas Pontificia hominum canonicè electorum. Sed Ecclesia constituta est a Deo verbi sui interpres, qui Dei ipsius directione, assistentia, magisterio doceat contentam in universali revelatione Synodum e.g. Ephesinam, & hanc fuisse legitimam est de Fide, Ecclesia agnoscente, & Fideles docente ejus legitimitatem. Ergo est de Fide Papatus Pii, Ecclesia eum acceptante, ac sic Fideles docente canonicam ejus electionem.

Solvuntur argumenta contraria.

PRæoccupata sunt jam argumenta in Fidem Papatus Piani inter probandam ejus assertionem: ea nihilominus adhuc proponam, quò confirmatior distinctà eorum solutione evadat assertio.

Oppones itaque 1. non est revelatus a Deo Papatus Pontificis præsentis; ubi enim? ergo non est de Fide. Nego antecedens: est enim revelatus in revelatione universali, Matt. 16, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quæ hæc est *Omnis canonicè ele-*

ilus est verus Petri Successor, & caput Ecclesiæ.

At inquis 1. ea in revelatione confusè tantùm est revelatus Papatus Pii, Pontificisve præsentis, non minùs quàm futuri; sed futuri Papatus non est de Fide absolutè: ergo nec Papatus præsentis. Nego consequentiam, quia in præsenti adest pacifica Ecclesiæ acceptatio, per quam posita jam est conditio canonicæ electionis, & ejus certa notitia, Ecclesia per eam Fideles docente, tanquam Interprete verbi Dei, Pium esse contentum in illa revelatione, esseque canonicè electum.

Inquis 2. novum hoc est, quod dicitur, Ecclesiam esse Interpretem Verbi Divini, consummareque, ac distinctè proponere locutionem Dei dicentis in universali, & confusè, Pium esse Papam. Nego assumptum, docuit enim expressè Doctor Eximius de Fide disp. 3. Sect. 11. Imò verò id docent Theologi omnes Catholici, cùm docent, Ecclesiam esse *Judicem controversiarum Fidei*: quid enim hoc est, nisi esse Interpretem à Deo constitutum, qui magisterio ipsius Dei, & assistentia doceat Fideles, quid a Deo revelatum sit, & Fide credendum? Tum etiam Ecclesia, quanvis non verbis directè, tamen indirectè Factis multis declaravit, se esse talem Interpretem, qui proponat distinctè singulare, quod universali revelatione dixit Deus confusè: nam e. g. definivit, Canonicum esse Librum Tobiæ, qui singulare unum erat

erat contentum in revelatione universali Librorum Divinorum; & in Octodecim Conciliis generalibus definivit, ea singula esse legitima, adeòque contenta in universali Concilii legitimi revelatione. Ac mirum mihi profectò est, quo pacto quisquam, agnoscens esse de Fide existentiam, & legitimitatem Synodi, e.g. Ephesinæ, Ecclesiâ præsenti de illa testante, non agnoscat, de Fide essePapatum Pontificis præsentis ab Ecclesia pacificè accepti, Ecclesia per ipsam acceptationem testante, & docente, eum esse Canonicè electum, itaque verum Papam.

Inquis 3.: in revelatione universali conditionatè tantùm revelatus est Papatus Pontificis præsentis: ergo tantùmmodo est de Fide, & credendus conditionatè. Permisso antecedente, nego consequentiam; quia conditionata licèt sit revelatio, *si sit canonicè electus*, est tamen posita conditio electionis, positâ Ecclesiæ pacifica acceptatione, ac de ea constat. At rursum inquis; revelata non est positio conditionis. Esto inquam 1. at nihil officit; credo enim *conditionatum*, Papatum scilicet, qui revelatus est, etsi non credam *conditionem* non revelatam. Sicut si Deus mihi diceret *Damnabere, si peccaveris*, posito peccato, deberem credere damnationem peccatum secuturam, non tamen peccatum. Sicut autem credens Deo absolutè damnationem, id crederem, aliunde sciens positam conditionem peccati, alioque

que ex motivo quàm Dei auctoritate positam judicans ; ita nunc credam Deo absolutè Papatum Pii , posita conditione electionis , etsi non revelatione , sed aliunde noscens , & judicans esse positam , nempe ex Ecclesiæ acceptatione, quæ quanvis à Deo dicta non sit , seu revelata , est tamen mihi moraliter certissima notorietate publica , & experientia . Sed inquam 2. revelatam esse electionem Canonicam Pii existentis per ipsam Ecclesiæ pacificam acceptationem , quæ consummatio est revelationis illius antiquæ *Tu es Petrus &c.* itaque per Ecclesiam acceptantem revelat Deus distinctè canonicam electionem , & Papatum Pii . At inquis adhuc : de electione Canonica , aut certè de Ecclesiæ acceptatione mihi constat dumtaxat ex humanis documentis . Resp. constat moraliter certò , id que sufficit , ut absolutè credam Fide Divina Papatum Pii revelatum à Deo , etsi non sufficiat , ut credam , sed solùm ut certò sciam acceptationem . Sicut signum credibilitatis e. g. Communis sensus Sapientum sufficit , ut Deo dicenti credam , veram esse Religionem Christianam , etsi non sufficiat , ut credam sensum communem , sed aliunde de illo factus sim certior . Nisi velis , ut àcceptatio ipsa Ecclesiæ revelaverit non modò canonicam electionem Pii , sed etiam seipsam ; revelaverit nempe consummativè , seu consummando revelationem pristinam Dei . Scilicet , ut Theologi qui-

quidam docent, revelationem alicujus Mysterii seipsam quoque revelare, propterea̋que esse Fide credendam. Quod tamen nunc non assumo, quia ad quæstionem aliam spectat, ac ne præsens, permistà alterà, fiat implexior.

Oppones jam 2. haud nobis constat, Pium VI. esse baptizatum, sacerdotem, Episcopum, electum liberè, ac sine simonia; sed sine his Papa esse non potest: ergo non constat adhuc nobis, Papam esse. Nego majorem, constant enim illa omnia ex pacifica Ecclesiæ acceptatione. Nam libertatem, si defuit in electione Cardinalitia, ac simoniam, si adfuit (satiùs dicerem defuisset, adfuisset) supplet Ecclesia per ipsam suam acceptationem, quæ electio altera est, & quidem libera, experſque simoniæ. De Baptismo autem, Sacerdotio, Episcopatu certos nos reddit ipsa Ecclesiæ acceptatio, quia consummatio est revelationis Divinæ dicentis universè, & confusè, Pium esse Papam: itaque acceptatio facta est instinctu, & assistentia Spiritus Sancti, quem docturum omnia Ecclesiam promisit Christus Joan. 16. Nam & Ecclesia proponens Sanctum Petrum fuisse Christi Vicarium, & Papam, certos nos reddit, fuisse hominem, baptizatum, Sacerdotem, Episcopum, vel quia hæc omnia dicta sunt, dicto Papatu, vel quia hunc necessariò comitantur, atque adeò ex Papatu certissimè colliguntur.

Oppones 3. non est hæresis negare Papatum

tum Pii: ergo neque est Fides eum affirmare. Distinguo, ut suprà, antecedens; non est in se, sive ex parte objecti, nego; non est quoad imputationem, concedo. Explico, exemploque confirmo solutionem. Hæresin *in se* dico assensum veritati revelatæ contrarium; hæresin *quoad imputationem* cùm imputatur hæresin esse. Est porro hic assensus *Pius VI. non est Papa* veritati revelatæ contrarius, at in judicio apud Fidei Censores ad hæresin fortasse non imputabitur, eo quòd Doctores quidam Catholici negant hæresin esse; ac Doctor Eximius modestè, ut assolet, docet, tantùm probabiliter esse de Fide Papatum Pontificis præsentis; adeòque non est de Fide esse de Fide; nimirum quia Ecclesia nondum definivit expressè, esse de Fide. Sed aliud est dicere *Pius non est Papa*, aliud dicere *non est de Fide esse Papam*: qui primum diceret, falsum diceret, & revelationi contrarium; qui alterum, diceret quidem falsum, sed probabiliter tantùm falsum. Sicut in Adversariorum sententia, qui primùm diceret, esset temerarius, ac fortasse de hæresi suspectus, quia negaret Conclusionem Theologicam: non ita esset temerarius, sed falsò solùm opinans ille qui alterum diceret. Est ergo Pii Papatus veritas revelata, adeòque de Fide in se ipsa, tametsi non usque adeò notà revelatione, ut certa sit Doctoribus Catholicis omnibus. Jam exemplum confirmans est in hæresi Semipelagiana, quæ Sanctorum Fausti, Cassianique æta-

ætate nondum hæresi imputabatur. At erat profectò eo tempore hæresis *in se*, sive error revelatæ veritati contrarius; jam enim dixerat Christus *Sine me nihil potestis facere*: quia tamen Ecclesia nondum hanc revelationem expressè declararat, ad hæresin non imputabatur, & Doctores quidam Catholici, humanitus hallucinati, illam docebant: neque erat certò, sed probabiliter de Fide necessitas Gratiæ per Christum ad initium Fidei: sive erat in se de Fide, non tamen de Fide erat esse de Fide. Exemplum urget utique, qua in re sumus: nam ne temerarium quidem erat eo tempore negare eam Gratiæ necessitatem: est autem certè temerarium negare Papatum Pii. Atque hinc apparet quanta sit proportio, ut ab Ecclesia definiatur expressè, esse de Fide Papatum Pontificis præsentis, cùm temeritas sit, errorque Theologicus dicere de Pontifice ab Ecclesia pacificè accepto *non est Papa*.

Apparet etiam quanta sit utilitas, & commoditas in asserendo, esse de Fide Papatum Pontificis præsentis. Nam dubitare de illo non licet, nedum negare: contra Rationem enim est quidquam temerè judicare; ac prohibet etiam Lex Divina, ne temerè judicemus. Quodsi ne dubitare quidem licet, ergo obligati sumus Lege, & Ratione certò, firmitèrque judicare, *Papam esse verum* præsentem Pontificem ab Ecclesia acceptum. Quod ergo sit

ſit de Fide nec rationem cogit, nec libertatem judicandi tollit: eſt enim coacta jam a ratione ratio, adſtricta lege libertas: tantùm additur credere Deo dicenti idem quod ratione cogente judicatur. Id autem eſt captivare intellectum in obſequium Chriſti: idquè & utile eſt, & commodum; utile, quia exercetur Fides, ac meritum ejus comparatur; commodum, quia cùm certi eſſe debeamus in aſſenſu, & firmi, ſecuriores à Dei dicto, quàm a ratione, reddimur veritatis.

Ac notandum; non continuò ſi Doctores quidam Catholici, imò & Sancti negent, putandum eſt, non eſse de Fide Papatum Pontificis ab Eccleſia accepti. Nam exemplum (cujus ſunt generis alia) hæreſis Semipelagianæ debet prudentem quemlibet continere. Notandum etiam, paucos pro negativa eſse Doctores Catholicos; pro affirmativa verò eſse plurimos. Notandum prætereà, Doctores negantes haud multum negativæ favere; nam alii cenſent, Papatum eſse de Fide mediata; alii dicunt, ſapere Fidem; alii ſimpliciter tantùm pronunciant, non eſse de Fide. Notandum denique, nec propter non exacerbandos heterodoxos defendendam eſse partem negantem: nam oderunt Papam, etſi non creditum, ſed agnitum, nec niſi temerè, & ratione reluctanti, negandum. Quibus autem momentis probatur credendus, moveri aliquot,

Deo

Deo dante, possunt, ut credant. Quidni enim credant, cùm videant, atque considerent pacificam Ecclesiæ tam longè latèque patentis acceptationem, inque ea tot Sapientum agnitionem, tot consensum Populorum, tot Episcoporum obedientiam, tot Regum venerationem? Quidni, inquam, credant? cùm dictet Ratio, præponderare in prudenti judicio tantam confessionem contradictioni nonnullorum. Quare vel quòd utilis esse potest pars affirmans ad heterodoxos in Fidem adlectandos amplectenda est.

Oppones tamen 4. ab absurdis sequelis: nam dicendum erit de Fide, quemvis Episcopum præsentem legitimum esse; quemvis ordinatum Sacerdotem; credendumque absolutè de quavis Hostia consecrata, esse in ea Christum; quivis enim Episcopus, quivis Sacerdos, quævis Hostia sunt singularia contenta in revelatione universali. Resp. Nego assumptum de Fide absoluta, quod non conficit adjuncta probatio, quia non constat de legitima cujusvis Episcopi, Sacerdotis, Hostiæ consecratione, sicut per acceptationem Ecclesiæ constat de canonica Papæ electione: unde enim ita constet? Credendum itaque est de Episcopo, Sacerdote, Hostia conditionatè. Neque ideò timendum est de veritate Episcopi, Sacerdotis, Hostiæ; quia tanta licèt non sit constantia, ut credatur firmissima Fide absoluta, eò quòd de

deest Ecclesiæ propositio; est tamen tanta, ut prudenter existimetur, eò quòd publica sit Episcopi, Sacerdotis, Hostiæ consecratio, ac nullum, quod eam non esse convincat, argumentum.

O. S. C. S. M. E. C. A. R.